


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
17 I
3



EXSECTIO
FOETVS VIVI EX MATRE VIVA
SINE ALTERVTRIVS VItæ periculo, & absque fœcunditatis ablatione, à

FRANCISCO ROSSETO
Gallice conscripta.

CASPARO BAVHINO
Professore Medico Basil. ord. Latio reddita, & variis HISTORIIS aucta.

Adiecta est


IOAN. ALBOSII PROTOMEdici Regii Fœtus per ann. XXIIX. in vtero contenti & lapide facti Historia.

FRANC. *item* ROSSETI *tractat. huius indurationis causas explicans.*



FRANCOFORTI
Excudebat MELCHIOR HARTMANNVS,
Sumptibus NICOLAI BASSÆI.

Anno M. DCL.



ILLVSTRI ET GENEROSO
DOMINO,

D. WOLFGANGO THEODORICO, LIBERO BARONI in STEIN, & GVETTENBERG, &c.

CASPARVS BAVHINVS
Anatomic. & Botanicus Acad. Basil. Professor Ordinarius

HANC

ΥΣΤΕΡΟΤΟΜΟΤΟΚΙΑΝ

Obseru. & officii

MON.

D D.

Τύχῃ καὶ Πόνῳ.

EPI-



EPISTOLA.



POLLINEM primum fuisse, ILLVSTRIS & GENEROSE BARO, memorãt, qui infantem materno vtero exsecuerit: ÆSCVLAPIVM nimirum è Coronide matre à Diana (cum iniuriam fratri factam, dum Coronis, Ischiæ Elati filio concubuisset, ferre non posset) interempta, vt auctor est Ouidius 2. Metam. & Natalis Comes lib. 4. Mythol. cap. 11. Dein P. SCIPIONEM AFRICANVM priorem, defuncta parẽte, vtero excisum in diem venisse, testatur Solinus c. 4. & cum Silio Italico. libr. 13. Plinius Natur. hist. lib. 7. cap. 9. ideoq; primũ CÆSARIS nomine apud Romanos salutatum fuisse.

Non enim à C. Iulio Cæsare Romano-

manorum Imperatore, Cæsares dicti fuere: licet enim Acursius in Præfatione Institutionum in glossa verbi, Cæsar, à Cæsare Augusto, qui tempore natiuitatis Christi regnabat, Iustinianum Cæsarem, & exinde quemlibet Imperatorẽ velit, dictum fuisse: quo loci Syluester Aldobrandus addit, vel melius à Iulio Cæsare eius auunculo, secundum Baldum, Ioann. Fabrũ & Christoph. vel dicitur (addit idẽ) Cæsar, quia fuit cæsus de ventre matris suæ. Vult enim Suidas, Iulium Cæsarem natum non esse: matrem enim eius nono mense mortuam, dissectam fuisse. Quod licet Ioachimus Fortius falsum dicat, eo ductus argumẽto, quod Iulius matrem habuerit Aureliam, fœminam (vt habet Plutarchus) primariam, ex singulari pudicitia mulierem, quam tamẽ amiserit, cum bellum Gallicum gereret: quæ, vt inquit Fortius, superuiuere nequiuisset, si cæso eius vtero natus fuisset. Verum cum in hoc tra-

ctatu, cuius patrocinium, dum eum Latinum reddidimus, suscepimus, illud agatur, vt probetur fœtum viuentem ex matre viuente exscindi posse, salua parente, fœtuq; , aliter respondere oportet.

Dicimus ergo, forte primum qui Cæsaris nomen sit sortitus, è matris cæsum fuisse vtero: quamuis, auctore Pompeio, verius Cæsones, quã Cæsares dicantur. Plinius tamen loco citato & Cęsaris & Cęsonis nomen eis tribuit. Non tamen desunt (vt auctor est Cuspinianus) qui Cæsaris etymon à cæso in pugna Elephanto, qui lingua Maurorum Cęsar dicitur, ducãt: vel quod oculis fuerit cęsiis, hoc est, glaucis, vel à cæsarie, qua natus proditur primus (quæ omnia aliqui Scipioni tribuunt) quisquis is fuerit, qui Cæsaris nomen indeptus sit: posteriorem sententiam Ioannes Ferrarius Montanus in Institutionibus amplectitur, à quo postmodum successores Imperii, Cęsares dicti sint.

ſint. Nam, vt Spartianus in Ælio Seuero teſtatur, Cęſares ſunt quaſi Principum quidam filii; & deſignati Auguſtę maieſtatis hęredes. Nec à Iulio, Romanorũ Dictatore ſummo, Imperatores Cæſares (quod Iuliorũ eſſe cognomen à cęſarie, Feſtus lib. 3. cum Pratenſio vult) dictos eſſe, licet ex Scipionis hiſtoria pateat, vt qui ante Iulium vixit: tamen clarum magis fit ex eo, ꝙ Iulii parens, qui Pręturа functus, Piſis obiit, etiam Cæſar fuit nuncupatus: imo teſtatur Spiegelbergius, cognomen Cæſaris primum auo Dictatoris contigiſſe. Sed hactenus de nomine Cęſaris, à quo hic Liber, de Partu Cęſareo & ὑστερο-τομοτοκίᾳ, inſcribitur.

Sed & MANLIVM, qui Carthaginem cum exercitu intrauit, ex matris extractum fuiſſe vtero, teſtatur Plinius libr. 7. cap. 9. Duo etiam in hanc rem præclara Bruſchius habet exempla.

Primum eſt, BVRCARDVM, Co-

mitē de Kintzgaw/Buchorn/&Monteforte (qui liberalitate in pauperes præstans fuit, & post obitum Cralonis, Abbas Sangallensis designatus, & ab Othone Magno per baculum & ferulam accepta, cōfirmatus fuit) hoc pacto lucem hāc aspexisse: cuius nomine vulgo Ingenitum dictum, eo quod ex mortuæ matris aluo, anno 959. exsectus esset.

Alterum est, GEBHARDVM, Vthonis Comitis de Bregentz/F. (qui anno 1001. Constantiensis Episcopus factus est, & Monasterū Petershusium, item Templum Ceriacēse, in emptorio nobili Heluetiæ, Zurzach dicto, extruxit) ex matris vtero fuisse exsectum. Quod sane vt rem notatu dignissimam Historici referunt; sed maioris sane ponderis atq; momenti existit sectio, quæ in hoc proponitur tractatu, dum docetur modus & ratio fœtum viuentem, nō ex parente mortua, vt in prædictis accidit, sed viua, & hoc absque vel

matris,

matris, vel fœtus vitæ periculo, & id quidem absque priuatione alterius conceptus, exsecare: quod in Heluetia primum attentatum fuisse, Historia prima Appendicis nostræ comprobabit.

Quum ergo Tractatus hic Gallicus in manus nostras venisset, semelque ac iterum perlegissemus, à pluri- mis vt eum Latina veste donaremus, rogati: non potuimus non iis, qui Gallicum non intelligunt idioma (cum dignum censeremus qui Latine loqueretur) hac in re gratificari: partim vt eius vsum sæpe necessariũ pluribus impertiremur: partim etiã, vt inter tot occupationes, Practicas & Academicas, aliqua exercitatione homine libero digna, mentem reficeremus. Eum ergo quam potuimus, fidelissime conuertimus, quam eleganter autem, quamue perspicue id præstiterimus, aliorum esto iudicium. Illud tantum si monuerimus, enixos quidem, vt Latine loquere-

mur, magis tamen cordi fuisse quam ꝓxime ad Auctoris verba accedere, quam liberiore sermonis genere vti: quod sane patebit ei, qui versionem hanc cum Autographo contulerit.

Dein etiam sicubi Latina deficiebant verba in re noua, verbis interdū Græcis, interdū ex Gallico idiomate desumptis, tanquam notioribus vsos esse. Semper enim Platonis & Galeni sententia veniebat in mentē: Verba iis esse negligenda, quib. multarum magnarumque rerum contēplatio esset proposita: laudandamq; magis orationem, quę verbis apertioribus (modo ne forēt prorsus barbara) quam q̄ limatioribus vteretur.


Locorum nomina, quoad fieri potuit, Latina fecimus, opera Iouii, Aemilii, & Dinothi vsi, & id, vt ii, qui Gallica non intelligunt, succedanea habeant Latina: Verum cum ea obscuritate non careant, idcirco Gallica locorum nomina margini adposuimus. Videbuntur, sat scio, historiæ

multæ

multæ in hoc tractatu cōtentæ, prope incredibiles, & à veritate nonnihil alienæ, in re videlicet inusitata & noua; quare quo magis hęc sectio cōprobaretur, & historiæ in hoc tractatu contentæ confirmarentur, APPENDICEM adiungere placuit, quę varias diuersasque historias suppeditat. Hunc ergo qualemcunq; laborē, Generose D. BARO, sub tuo nomine, tanquam Aiacis clypeo in lucē prodire volui. Volui vero istud hoc nomine cū primis, quod singulari humanitate, non solum rem literariā & literatos te prosequi, sed etiam rebus Medicis, maxime Historicis, delectari, partim naturali & generoso instinctu; partim vero Cl. & Doctiss. viro D. DAVIDE VERBEZIO, Philos. & Med. Doct. eximio, Pręceptore tuo, stimulos addente, ex familiari colloquio compertum habeam. Qua sane in re Heroes priscos etiam celeberrimos quosq; Reges (inter quos admirabilis ille Hermes Trismegistus,

Ale-

Alexander Magnus, vt è multis paucos referam) imitaris. Debui & illud ob singularem mihi & quidẽ secundo, cum apud T. G. Argẽtinæ essem, humanitatem exhibitam, quam quoties recolo, toties admiror & depredicare soleo. Quo ergo gratæ & voluntatis & memoriæ pignus erga T. G. perpetuum extaret, Opusculum, hoc in præsens offerre volui. Quod vt benigne, operamq; meam in quibusuis aliis addictissimam, suscipias, etiam atq; etiam submisse rogo; me quoq; omni studio, obsequio, ac qua decet animi propensa voluntate, cõmendo. BASILEAE RAVRACORVM, Anno Epochæ humanę M. DC. Kal. IIXbris.



CASPA-



CASPARI BAVHINI PRÆFATIO ad Lectorem.

HIPPOCRATES summus Medicinæ dictator, Candide LECTOR, quomodo prægnantes aliquæ non rite pariant, sed intus perdant, qui cõcisus educi debeat, grauissime, libello de Partus immortui extractione, docuit: hacq́ ratione de CÆSAREO egit partu. Cæsareus autem partus triplex existit: vel enim matrem, vel fœtum conseruare animus est. At fœtus dupliciter laborare potest, vel dum in vtero matris mortuæ tanquam in ergastulo conclusus hæret: vel dum in vtero matris viuæ continetur, quæ cum eniti non potest, vbi de vtriusq; & de fœtus, & de matris salute dubitatur. Sed & mater duplici etiam nomine sæpe in periculo est: vel propter fœtum viuentem: vel propter eundem in corpore mortuum, quem sæpe excludere nequit, cum & fœtus ad partum iuuet pluri-

plurimum. Sed cùm in vtroq; & fœtu & matre vires non valeant, in angusto spes (nisi sectione succurratur) posita, & sæpe cõclamata omnia. Quare de his Cæsuris in præsens paucis.

Prima & antiquissima Cæsura est, fœtus viuentis ex matre mortua, si modo vera est Historia de Æsculapii cæsura, quem à patre Apolline exsectum hanc suauissimam aspexisse lucem volunt, vnde partus Cæsarei inuentio. Quæ sane Cæsura perfacilis esset, si modo tam certum esset fœtum viuum ex matre mortua educi posse, quod sane dubio non caret, vt Anatomicis perspectum atq; cognitum est. In confesso enim est, vitam & motum cordis in infante à duobus arteriis vitalibus matris, vt communis est Anatomicorum sententia (qua de re in nostris libris Anatomicis) per vmbilicum fœtus seu per insitionem insertis dependere. Quare arteriarum motu in matre cessante, earundem etiam motum e vestigiò in fœtu cessare necessum est: siquidem fieri minime potest, vt fœtus arte præsectum vmbilicum in ipso vtero tunicis duabus, amnio & Secundina,

dina, (Allantois enim brutorum est) inuolutus, Spiritum per os attrahat. Praterea, esto quod continuatio vmbilici fœtus ab vtero sit libera, cotyledonibus partus tempore ruptis : nihilominus tamen vmbilicus secundinæ adhæret, ab Obstetrice necessario præcidendus : vel etiamsi vmbilicus à secundina fœtu in vtero existente, solutus esset : tamen infans per os respirare non posset, membrana Amnio adhuc inuolutus, vteri parietibus inclusus, mucoribus & aquositatibus circumfusus : quæ certe res sæpe solutos infantes, diutius tamen in angustis faucibus hærentes, suffocando enecat. Cum ergo necessarium sit, vita & motu arteriarum in puerpera cessante, cessare etiam infantis in vteri ergastulo contenti vitam & motum, impossibile videtur ex matre mortua infantem viuum exscindi posse.

Sed obiiciet quis exemplum P. Scipionis Africani, qui primus Cæsaris nomen (non Iulius Cæsar, vt multi autumant) indeptus est : C. Manlii item : Burcardi quin & Comitis de Lingaw; *Anno 959. exsecti : Gebhardi deniq. Episcopi Constātiensis an. 1001.*

ex

ex matre mortua extracti, qui tamē omnes superuixere. Ad quod respondetur, talem exemptionem contingere forte fortuna, dū puerpera est in agone, aut in animi deliquiis, præsentibus adhuc spiritibus vitalibus, tum enim superuiure posse infantem cōcedimus. Verum quam difficile, ne dicam impossibile sit, tam immediate infantem exscindi posse in eo ictu temporis, quo anima ex matre migrat: quæ si semel euolarit, certe humanis præsidiis nullo modo reuocari potest, cuilibet facile est colligere. Verum cum in hac Cæsura non magna opus sit arte, sed solum manus agilitate, vt subito fœtus educatur, si fieri poßit nil addam vlterius.

Altera CÆSVRA, *(quæ potius Extractio dicenda) est Fœtus mortui ex matre viua, quæ priore non minus antiqua videtur, de qua breuiter, & quidem grauißime senex noster Hippocrates libro citato, egit: vbi fœtus mortuus frustulatim educendus, si modo matrem saluam cupimus: quæ tum instituenda maxime, quando Medici potionibus, balneis, suffitibus, sternutatoriis,*

vomi-

vomitoriis, litubus expellendo fœtui dicatis, nihil profecerunt. Ante tamen sectionẽ duo erunt consideratione digna. Primo, fœtus ne certo sit mortuus, ne in tenellum, instrumentis Chirurgicis hamis, uncis & forpicibus sæuiamus. Si enim nec Medici manus vmbilico parturientis imposita, nec ipsa mater fœtum moueri percipiat, si aquæ effluxerint, si secundina prodierit, mortuum esse fœtum, qui vtero concluditur, pronunciare licet: & sane hoc postremum certissimum huius rei signum est, licet sæpius secundina manu ipsius Chirurgi, post frustulatim eductum fœtum extrahi debeat: non desunt plura adhuc signa, de quibus Ambrosius Pareus libro de Hominis generatione, cap. 25. hæc enim tanquam præcipua aspergere placuit. Secundo vires parturientis æstimandæ: nam si vires ex pulsu paruo & debili, ex spiratione parua & rara, adeoq; frigida, ex facie plane à seipsa mutata & cadauerosa, ex frigidis sudoribus, ex gelidis extremitatibus deiectas esse suspicatus fueris, ab opere abstinere erit consultius, imminentem mortem prædixisse

 conten-

contentus, ne si suauissima hac priuetur aura, in hanc fœtus extractionem causa referatur. Si contra vires validæ adhuc subsint, confidenter matrem ex faucibus mortis eripies, arte ea cog. modo, quo præter Hippocratem, docuit Albucasis lib. 2. suæ Chirurgiæ, cap. 76. additis plurimis figuris instrumentorum, in hanc rem necessariorum: docuit & Ambrosius Paræus cap. 26. libri citati. Verum cum in hac sectione Iohannes Bauhinus VVirtenbergicus Archiater, frater mihi charissimus, sit fælicissimus, in fine huius libri exemplum vnum (cum infinitas iam eo modo liberarit & saluarit) ex ipsius operationibus subiicere placuit, vna cum præcipuis in hanc rem instrumentis necessariis.

Tertia succedit CÆSVRA, *fœtus nimirum viui ex matre viua, quæ aliter eniti non potuit, vbi abdomen cum vtero per latus incidi debet: quæ sectio noua est, veteribus enim incognita videtur. Antiquissima enim huius sectionis, quæ habetur Historia, ea est, quæ in Heluetia Anno 1500. instituta est, de qua infra in Appendice nostra, nunc vero*

vero ab aliquot annis in Gallia vsitata, vt ex huius libri lectione patebit: quæ cæsura longe prædictis duabus præferenda est, cum in hac fœtus viuus ex matre viua extrahatur. Quo modo vero & qua ratione hac instituí debeat, & possit, docet hic Auctor, quẽ Latinum fecimus, Historiis plurimis auximus, moti certis rationibus in Epistola propositis.

Et licet iam quarto Opusculum hoc editum fuerit, deficientibus tamen exemplaribus, iam quinto damus, sed longe limatius & correctius, multisq; nouis Historiis auctum, quo in rem tuam vtere.



AD

FRANC. ROSSETVM
IOAN. ALBOSIVS.

QVi vicit Pœnos, cuiq; Africa subdita, dictus
A caesa Caesar parturiente fuit.
At quae viuentem fœlix exclusit ab aluo
Fœtum, eadem matrem sustulit aegra dies.
Quanto haec Lucina es maior, Rossete? supersunt
Ingenio fœtus, fœtaq; caesa tuo.

AD

CASPARVM BAV-HINVM

IACOBVS GREGORII
Pannonius. Med. Doctor, scribebat
Basileae, Ann. 1587.

GRata Deo res est, nec non mortalibus aegris
Vni si Medicus fert miseratus opem.
Gratior illa tamen, laudemq; meretur honestam,
Pluribus his, vitam si reparare queat.
Hoc quia tu facias sacram per Apollinis artem
BAVHINE, eximia vir pietate grauis:
Rem longe gratam facili summoq; parenti
Praestas, Terrigenis consulis atq; probe.
Dum vigili cura praecepta fidelia tradis,
Et nos de variis edocuisse studes.
Gallica sollicitis manibus quoq; docta reuoluis,
Ac Latiam in linguam vertere scripta soles.

Testa-

Testatur præsens veluti nouus iste libellus,
Qui venit in lucem sedulitate tua:
Hic quoniam mõstrat, qua vterus ratione se.[illegible]dus,
Viuat vt & fœtus, viuat & ipsa parens.
Cõmoda multa quidem multis, verum tibi pulchrũ
Inde paras nomen, non sine laude tamen.
Maior at exsurget tibi laus & gloria maior,
Si dabis in lucem, quos meditare libros,
Scilicet Herbarum concinna Synonyma, plures
Vt dubios possis conciliare viros.
CORPORIS *aut secti methodũ certo ordine scriptã,*
In vulgus, quam non edidit vllus adhuc.
Ergo tuis scriptis pergas celebrare Tonantem,
Et miseros homines sedulus vsq; iuues.
Sic tibi fata dabunt felicis tempora vitæ,
Durabitq; diu nomen in orbe tuum.
Posteritas seros gaudebit grata per annos,
Talia BAVHINI cum pia scripta leget.

AD EVNDEM
VALENT. THILONIS
LIGII.

QVo, BAVHINE, rapit tua te insatiata libido,
Fulgida Pæonia dum face signa locas?
Eruis HERBARVM miras è montibus artes,
Et vari[illegible]gatas instruis ore loqui.
Opponis[illegible]achesi tua PHARMACA, multos
Dum [illegible] luci, quos mala dira premunt.
CORPORA *cassa secas, & fibras digeris, artus*
Monstras, & mira singula lege doces.

Quid loquar? & FOETVS è viua matre recisos
Dicis in aereis viuere posse plagis.
Mirũ hoc, testaris tamen, hunc diũ pumice tersum,
Erudis Ausonio cultius ire librum.
Viue, Machaonias acri studio impiger artes
Excole, & his serta altera serta feres.

AD LECTOREM
SIMON GRYNÆVS PRAGENSIS scribebat BASIL. Ann. 1591.

MArtia Romani si oblectant gesta furoris:
Prælia si placida voluere mente iuuat.
An non rara magis miræ te facta mouebunt
Naturæ, & genio commoda plura ferent?
Læuia spinosis vt præstent Lilia dumis:
Natura & bellis eminet ista feris.
Hæc duro sæuam diffundunt pectore mentem:
Nota salutiferas ast docet illa manus.
En tibi natura BAVHINI Musa remota
Pandit opus, vigili hæc scripta reuolue manu.
Artifici cultum nuper dedit ordine Librum;
Internas partes CORPORIS iste docet.
Nunc vtero FOETVS viua vt sit matre secandus,
Arcanæ rarum hoc innouat artis opus.
Ergo age nunc mecum LECTOR tu candide, læta
AVCTORI fer os mente precare ...es.
Publica vt hoc magis ipsa superstite ... la crescat.
Crescat Apollineà & Prole vigente decus.

ELEN-

ELENCHVS

EORVM, QVÆ IN HOC CONTINENTVR OPVSCVLO

ΥΣΤΕΡΟΤΟΜΟΤΟΚΙΑ.

Hoc est, Extractio fœtus viui ex vtero grauidæ viuentis mulieris, quæ secus parere non potuit, Abdomine & vtero per latus inciso: tum absque Matris & Fœtus periculo; tum etiam absq; eiusdem Matris fœcunditatis, post sectionem, ablatione. FRANCISCI ROSSETI.

APPENDIX

Variarum Historiarum ea quæ in ὑστεροτομοτοκίᾳ tractatur, comprobantium vna cum inuentione VALVVLÆ in colo intestino. Anno M D LXXIX. primo obseruata. CASPARI BAVHINI.

LITHOPÆDION SENONENSE.

Hoc est, Embryonis in vtero materno per annos 28. contenti, petrefacti, & post Matris mortem ex vtero excecti Historia: addita exercitatione Problematica, de istius indurationis causis. IOANN. ALBOSII.

Item SIMONIS PROVANCHERII de eadem re opinio.

SCLEROPALÆCYEMATIS.

Id est, Fœtus lapidei vigeoctennalis causæ, cur nasci non potuerit: cur non putruerit: cur in lapidem obdurerit, FRANCISCI ROSSETI.



Ὑστεροτομοτοκία

FRAN. ROSSETI MEDICI GALLI:


OPERA

CASPARI BAVHINI Basil. Med. Doct. & Profess. ord. è Gallico Latina facta.

SECTIO PRIMA.

Partus Cæsarei definitio.

CAPVT I.



CÆSAREI partus nomine proprie intelligimus, scirá ac dextram infantis ex vtero materno, & quidem per latus, extractioné: matris, inquam, quæ haud alia ratione fœtum quam sectione conuenienti, tam Epigastrii, seu ventris exterioris, quam ipsius Vteri, excludere potest,

test, citra tamen vllum alterutrius, aut amborum, matris puta, aut fœtus (modo aduentitio malo non premantur) vitæ discrimen: incolumi etiam seruata in posterum matri pariendi facultate. Id quod de partus adhuc viuentis extractione intelligi volumus.

Sub hoc & mortui fœtus ab vtero materno extractio comprehenditur, cum obstetricandi omni spe sublata, medicamentorum item, aut leuiore certioreue Chirurgica ope deplorata, ob partum aluo conclusum, in discrimen vitę mater adducitur, nisi hoc vnico subsidio laboranti succuratur. Id quod quotidiana docet, in cuiusuis conditionis mulieribus, experientia, iis inutili conatu & fructu euisceratis & misere dilaniatis.

Quod ad viuorum ex parente mortua (quæ tamen hac ratione in viuis conseruari poterat) exsectionem attinet, cum iusto copiosius, tam à veteribus, quam à neotericis scriptum sit, neque res tanto artificio egeat, eiusce hic nullam mentionem faciam: tametsi ab ea Romanorum Imperatorum primus, Scipio videlicet Africanus, ex matris vtero, hoc vti dicimus pacto, sectus, Cæsaris nomen sortitus sit, & ad illius imitationem, hunc nostrum partum Cæsarei nomi-

fuerit) cui alioqui moriendum fuisset: imo etiam non minus in posterum vtero gestando apta futura sit. Quod si vero fractis iam viribus & desperata salute incidatur, saltem supererit aliquid spei euadendi mortis periculum, si chirurgus (postquam rei discrimen præfatus fuerit) ex arte sectionem administrarit: cuius etiamsi anceps sit euentus, incerta tamen salus, certissima morte semper fuerit potior. Seruiunt hæc, inquam, non tantum conseruationi connubiorum, propagationi generis humani, aliisque priuatis hominum confœderationibus ac commodis: imo etiam Rebuspublicis, politicisque rerum humanarum administrationibus, cùm huius sectionis beneficio cuiusque genus ac prosapia conseruetur, & ad cuiusque posteros successione hæreditaria, patris in filium, vel propinqui in propinquum, opes, dignitates, regna, imperia deuoluantur, quæ alioqui sectionis huius ignorantia magno cum Reip. ordinum ac subditorum euidenti detrimento grauissimis vicibus & mutationibus, sæpenumero subiecta esse cernimus. Verum leuiori de causa, quã hæc fit (cuius gratia sectio instituitur) scripsit Hip. Aph. 59. lib. 5. *Si mulier non concipit, scire autem velis si conceptura sit, pannis circumtectam,*

desubter suffias: & si odor videatur per corpus ire ad nares & os, scito quod ipsa non ex seipsa sterilis est. Quod ex Commentario Galeni, super hunc Aphorismum, colligere est.

Quæ causæ difficilioris partus naturalis ad huius sectionis Cæsareæ necessitatem nos impellant.

CAPVT III.

CAVSAE naturalem fœtus exclusionem impedientes, hancque incisionem necessariam reddentes, plures atque diuersæ sunt: vel enim in infantem, vel in matrem referendæ. Ratione quidem infantis, si nimis crassus, magnusue, vel gemini aut plures sint, qui vna exitum quærant: aut si mola carnea sit coniuncta, aut monstrum: aut si situ non conuenienti prodeat, ita vt nec sui ipsius, nec aliorum ope, in pristinum melioremue situm reduci possit. Vel si mortuus sibiipsi, vti par esset, auxilio esse non possit: vel tandem, si adeo intumuerit, vt ipsi per viam consuetam exitus non detur. Ratione vero matris, si forte via, per quam fœtus excludi debet, sit quam oporteat angustior, id quod variis de causis vsu venit: vel enim ratione Conformationis, cum vna meatum multo strictiorem altera habeat:

quod

quod sane viris etiam contingit, quibus genitalia pari magnitudine non sunt conformata. Vel ratione ea, dum aut nimis iuuenes, ante viarum dilatationem nupsere: aut si senio iam confectæ, vterus exaruerit, præsertim si tardius nupserint. Sed & hoc accidit iis, quæ crebrius quidem vtero gestarunt, interruptis tamen vicibus enixæ sunt, ita vt viæ per hæc interualla, tum etiam per ætatem, angustiores & sicciores fuerint redditæ: ratione cuius, os pubis, quod tempore partus dissoluitur (licet sint qui contrarium sentiant) difficilius separatur.

Sed hoc etiam aliquando vitio ortus, præter aliarum consuetudinem contingit: si forte statim à natiuitate, vel in sinu, vel in collo, vel in fundo vteri, aliquod sit obstaculum, ita vt ob angustiam viarum, semen virile vix in ceruicem vteri eiaculari possit, quod tum ab vtero attractum, & per nouem menses conseruatum, tandem in fœtus magnitudinem accretus, ob coangustatas vias excludi nequit. Sub hoc etiam intelligimus vitium tale, quod Mulieri post natiuitatem contingere potest, vt si forte vlcere vteri, aut ceruicis eius laborarit, vt hac ratione cicatricem, aut callum contraxerit, siue id ob partum difficiliorem; vel calculi minus dextram extractionem; vel ratione humoris

acris,

enarratis caufis, naturalem fœtus exclusionem impedientibus; infiniti tumores ilico exorientes, inflammationes, defluxus, apostemata, scirrhi, lupiæ, & plures aliæ duritiès, quæ omnia & possunt, & consuevere has vias, & alias corporis partes, ita coarctare, vt quo minus mater præfinito tempore parere queat, impediant: nec etiam partus differri potest, cum gestationis tempus sit finitum, quousque hi tumores vel suppurentur, vel curentur, qui tamen excludi nequit.

Triplex argumentorum genus, quibus sectio hæc confirmatur.

CAPVT IV.

CVM de proposita materia, neque ab antiquis, neque à neotericis hactenus fuerit pertractatum, nec etiam sectio hæc in vsum hodie adhuc venerit, & nonnisi à tonsoribus quibusdam paganis vsurpata sit, idque quam rarissime: & quod maximum, à Medicis & Chirurgis, qui & doctrinæ & experientiæ nomine celebres habentur, pro falso & impossibili habeatur, quorum tamen erat, diligentius rem perquisitam commendare; necessarium erit omnes neruos intendere, vt ipsis persuadeatur, huic rei fidem

fidem vt adhibeant & in vsum reuocent. Tribus vero id rationibus absolui poterit: experientia nimirum certa: rationibus validis: & auctoritatibus (si modo haberi possint) certissimis. Prima historiis veris & approbatis absoluetur. Altera vero Medicis disputationibus perficietur. Tertia ratio, cum hactenus nemo, (quod quidem ad manus nostras peruenerit) hac de re, quidquã scripserit, nobis deficit. Quare eius loco per Analogiam disputabimus, similibus in medium reuocatis sectionibus, aut etiam periculosioribus in iisdem humani corporis partibus, aut earum vicinis, imo etiam præstantioribus & magis læsis, quarum tamen curatio cessit feliciter; ita vt inde sectionem hanc præsentem feliciorem nobis polliceamur: cum sectiones hæ partim consilio meo fuerint adhibitæ: partim vero earundem curationes, cum ex celeberrimorum Medicorum adhuc superstitum praxi collegerim: tum etiam ex auctoribus, tam veteribus quam neotericis excerpserim.

Historiæ ex fide dignorum relatu.
CAPVT V.

AC primum quidem, quod ad historias, quemadmodum aliorum experientiam tantum

tantum credere nolui, quin meam ipsam quoque ad maiorem fidem adhiberem. Sic etiam meis obseruationibus tantum tribuere nolui, quin eadem similibus historiis ex fide dignis diligenter perquisitis, testata facerem, quas primo loco paucis enarrabo, subinde subiungã eas quas meas voco, partim quod meo consilio administratæ sint, partim vero quod earum fuerim oculatus testis, obseruatis singulis circumstantiis in ipsis mulieribus incisis, etiam in ipsarum ædibus, non solum Chirurgis opus attestantibus, sed incisarum mulierum viris ipsis, liberis, earumque tota familia, aliisque pluribus qui sectioni interfuissent.

HISTORIA I.

NON ita pridem ex quibusdam senibus fide dignis prope Millyum Vastineti cognoui verum esse, (de quo etiam apud ipsos dubium non est) cuiusdam Gothardi, habitãtis Mesnilii, quę Millyi parrochia est, coniugem, ante aliquot annos, sexies, cum alio modo parere non posset, sectione eiusmodi fœtus semper viuentes esse enixam. Postquam vero Nicolaus Guillet tonsor Millyẽsis, qui sectoris munus obierat, mortuus esset, cum septimo grauida, nec alia ra-

Milly en Gastinoys.

au Mesnil.

de Milly.

cubicularius factus. Nihilosecus tamen mater huius naturali modo postmodum filiam Renatam nomine est enixa, quæ dein Præfecto salinario nupsit. Hic Simon (qui sine matre vulgo cognominabatur) ex Rosa Gaillardeta vxore, binas filias suscepit, alteram Claudiam, quæ postea Francisco Attuzio Yxilodunensi fuit desponsata: alteram vero Franciscam, Oliuario Gannerio nuptã. Hæc abunde satis attestari poterunt, ea quæ de paterna natiuitate dicta fuere, cum hæc partim ex vulgi fama, maxime vero ex frequenti parentis relatu, cognoscere potuerint. d'Yssoudun

HISTORIA IV.

DOMINVS Pelion, celebris Medicus Andegauensis, cum pridem Laurentio Collото Chirurgo cystotomo Lutetiano, similem casum, qui in Andium ducatu contigerat, narrasset, idem tamen nuper epistola ad ipsum data, (quã mihi tradidit) confirmauit. Opus autem hoc peractum esse à quodam Mathurino Debonnaire Chirurgo solũ monet, nec sigillatim reliqua pertractat. Angiers, en Anjou,

Historiæ, ab ipsomet auctore visæ & notatæ.

Capvt VI.

NE tibi amice Lector, dũ iusto sum prolixior, in recitandis leuissimis quibuscuis circumstantiis tædium parere videar, scias hanc minutissimarum rerum enarrationem, mihi quidem labori, tibi vero vsui esse, quo facilius rei propositæ fidem adhibeas, veritate iis in locis, vbi hæc contigisse monuimus, indagata: quod etiam ex iis, qui suismet videre oculis, si modo dubites, intelligere poteris.

HISTORIA I.

Glan. Chastillon.

ANTE exortum bellum ciuile D. Dionysius Armenaldus Medicus Genabensis, & ego vna, vidimus in Xenodochio Castellionensi, mulierem febri continua laborantem, quæ in inguine sinistro rupturam habebat cum cicatrice & factæ suturæ conspicuis punctis, quæ post apertionem ipsius Abdominis remanserat. Testabatur ipsa cũ marito, ante aliquot annos, filium qui tum septennis erat (quem nobis ostendit) cum aliter excludi non potuisset, extractum esse. Quæ incisio per senem tonsorem eius pagi in Burgundia, in talibus (vt ipsi narrabant) exercitato, peracta fuit: cuius nomen consignaram, quo cum ex ipsomet, tam per literas, quam per amicos, eius rei veritatem indagarem: tum etiam vt ex eodem operationem

tionem ipsi familiarem addiscerem. Sed eorum temporum iniuria fecit, vt & loci,& personæ consignationem amitterem,& hac ratione contigit,vt id quod expetebam non cognouerim. Verum ab incisione facta, licet adhuc ambo iuuenes essent, vtero non gestarat. Et hoc procul dubio ab Armenaldo, ipsius familiares sæpius narrari audiuere, quod quidem ipse, vti & alii quam plures, cum initio vt crederet adduci non posset, pro indubitato postmodum habuit, ita vt animum induxisset, si forte necessitas id requireret, sectione hac vti.

HISTORIA II.

CVM quatriduum extremis & irritis conatibus partus, diuexata esset Bernhardina Arnolda, Stephani Massicadi Nangeuillo pago vxor, qui inter Stampas, Puteolos & Pythuueras situs est,atque in extremis constituta, implorato meo per maritum auxilio, cum de sectione consilium audiisset,vel reclamante marito animo confirmato hanc in se experiri auide cupiit, idque ita subito post intellectum consilium meum, vt nollet Ambrosii Nigri aduentum expectare, quem tanquam in hac arte exercitatum,missurum me eram pollicitus, cum ob grauissimum morbum,quo tum detinebar, Estampes, Puise au Pithuiers.

quam deinceps semper habuit, vel ob suturam minus recte adhibitam, vel quod minus diu quam par erat, in puerperio remansisset, quadraginta enim solum diebus lecto se continuerat. Sesquianno autem post, priori marito defuncto, cum Petro Chanclouio nupsisset, qui etiamnum superstes, rursus concepit, & feliciter naturali modo filiam enixa, quæ etiam secundas nuptias contraxit, & Nangeuiliæ habitat, quo loci, plures adhuc hodierna die, fide dignos huius rei testes est reperire.

à Nangeuille.

HISTORIA III.

NICOLAA Bellengeria, Simonis de la Garde coniux, quæ Alcii Briæ prope Fontem bellaquæum, loco duobus miliaribus ab vrbe Nemoro distante, habitabat, cum menses decem & quidem iampridem fœtum mortuum vtero gestaret, orificio vteri se non recludente, tandem Vincentium Valleau Chirurgum Nemorensem, veteri mihi familiaritate iunctum, ad se vocauit: qui cum aliud auxilium, quo ipsi succurrere posset, non videret, circa Ianuarii finem, anni 1542. incisione lateris, non quidem vti prior dextri, sed sinistri vsus, loco tamen paulo altiori quam ipsius Nangeuillianæ erat: dissecto

Aury en Bière pres Fontainebleau.

Nemours.

prius abdomine, dein ipso vtero, ex quo fœtum mortuum, inflatum & fœtentem vna cum secundina putrida extraxit. Hoc facto (cum de salute apud ipsum exigua esset spes) cutem vna cum portione exigua Musculorum, relicto tamen vtero, quinque punctis consuit, quod adhuc conspicuum, cum sola ipsius cutis cicatrix, super ipsa intestina conspiciatur, hanc enim vt viderem incisionem, cum Paulo Chirurgo Nemorensi (prædicti Valleau quondam famulo) eo abieram: quare locum cicatrice obductum & vidi, & manibus, absque tamen dolore, trectaui: sed eam subligaculo vti oportuit: & licet magna foret hernia, nihilo tamen minus victũ, vti licebat, manibus laborando quærebat. Quare studiose [illegible] c obseruandum erit, quo omnes intelliga[illegible] perfectam gastroraphiam eo loci non necessario requiri, ne dum laboramus ex arte perfectam futuram (quãuis non necessariam) efficere, totum opus perdamus. Mense sesquialtero lecto se continuit, dein biennio post filiolam commode enixa, & altero postmodum biennio, filium, cui nomen erat Petro de la Garde, peperit, qui nunc faber ferrarius est. Ipsa vero adhuc superuiuit in pago Vry dicto, obstetricis munere fungens.

HISTO-

HISTORIA IV.

AGNETA Boyer Ioannis Compain rustici vxor, quæ Villerelli ꝑpe Neoburgũ Villereau.
Belsiæ commorabatur, postquam integro Neufuille
quatriduo misere, & quidem frustra discruciata esset, tandẽ vt & prædictis, latus dextrũ en Beausse.
à Philippo Migneau tonsore Neoburgi habitante, sectione apertum fuit, quod anno 1544. contigit, dein prout licuit, Musculi vna cum cute fuere consuti. Vulnus quidẽ hoc in Abdomine breui temporis spatio fuit cõsolidatum, sed partes genitales attritæ, Chirurgum ab omnimoda prorsus vulneris curatione vltra mensium septem spatium impediere. Filiam tum habuit, quæ vltra menses septem sana superuixit, octauo dein mẽse, dum eodem in pago apud nutricem esset, in morbum, qui ipsi fuit exitio, incidit. Paulo post denuo grauida facta fœtum gestabat, ad rupturam (quæ vti & aliis incisis, absque tamen dolore remanserat) declinantem; verum quemadmodum nec prius, ita neque tum parere potuit, ob aliquas causas & obstacula (vti coniectari licet) superius enarrata. Quare vltro sectionem, qua prius vsa erat, expetiit, quod tamen precibus qualibuscunque à duobus iunioribus Chirurgis, hanc ob causam Neoburgo eo vocatis (qui Neufuille.

post Philippum peste extinctum eo loci habitabant) impetrare non potuit. Quo factum, vt propter horum pusillanimitatem (cum tamen neque virium prostratio aliudve difficilius symptoma ab incisione facienda, ipsos impediret) mater vna cum prole misere perierit.

HISTORIA V.

PARI pacto Antonia Andrea, Ludouici Garnier operarii vxor, Anno 1576. Iulii 22. per Adamum Albericum Pithuerensem Chirurgum Obenignii habitantem, Ambedoyæ prope Brissonii fanum diœcesis Genabensis, fuit incisa: quod ab ipsomet Chirurgo fusissime vna cum felici successu, mihi fuit expositum, quod sæpius cum ipso, huius sectionis gratia contulissem. Cui (cum ipsius mihi perspecta esset in operando dexteritas, atque felicitas) suasor eram, vt sectione hac, si alia deessent auxilia, absque metu vteretur, licet forent Medici, & alii, qui contradicerent, modo id fiat cum iudicio & explicata rei difficultate, inprimis vero diuino auxilio implorato. Non enim hæc res inducias dat, nec etiam consilium longe petitum expectare licet, quod fieri solet in pagis, locisque campestribus: præsertim cum ipsorum nullus nec velit, nec audeat,

de Pithuiers à Aubigny.

huic

fuisse consilio assentiri, eo quod horum aliqui huic rei fidem non adhibeant: alii vero calumniam metuentes, ne, si forte etiam ob aliam causam sinistri quid contingeret, auctores mali haberentur. Postmodum rursus grauida reddita, naturali modo fœtum enixa est, sed paulo post ob summam annonæ caritatem, alibi victum vt quæreret, maritum sequi coacta.

HISTORIA VI.

Historia habetur alia, quæ non ita pridem contigit: anno nimirum 1578. Calend. Februarii Iohanna Michel, Argento oriunda, Georgorii Renaldi, habitantis in suburbio Obenigniano, vxor, cum iam vltra mensem decimum grauida, diu fœtum mortuum vtero gestasset, nihilo tamen secus munia domestica obibat, donec lecto se continere coacta: quæ cum diu ab obstetricibus frustra esset misere tractata, tandem Adamum Albericum & Guillelmum Colas, insignes Chirurgos ad se vocauit: hi, postquam infanti brachium diu ex vtero materno propendens, iam emortuum & liuidum abscidissent, nec tamen reliquum corpus extrahere possent, latus dextrum incidere, vulnera orbi-

d'Argent.

d'Aubigny.

orbiculari & angusto satis (quo matri parcerent) facto. Hinc factum, vt dum in fœtu extrahendo laborarent, magnos dolores matri intulerint. Vterus enim ob vulnus angustius, fœtum cum dimittere non posset, eundem comitabatur, ac si vna extrahendus esset. Verum dolores hi, post fœtum vna cũ secundina exemptum, sedati fuere. Et sic paulo post fluxum lochiorum, (quæ non secus fluxere, ac si naturali modo fuisset enixa) conualuit, & septimanis quinque elapsis, rursus menstruas purgationes habuit, statimq; post concepit, in fine nimirum mensis Maii, anxia iam (rei anteactæ recentem colens memoriam) quid tempore partus futurum esset. Verum finitio gestationis tẽpore, conuenienti modo fœtum exclusit, & licet infans vnam solum tibiam exereret, (quod sane periculo non caret) tamen cum ab obstetrice esset denuo indita, feliciter omnia successere. Ab eo tempore cum rursus grauida facta, non tamen secus quam antea felicem à Deo successum expectabat; quare nunc secundo feliciter peperit, muniisq; domesticis vt prius, ita etiamnum commode præest.

SECTIO


SECTIO II.

Altera huius operationis probatio, quæ rationibus absoluitur.

Caput I.

PRoposita prima probatione, quæ historiis ab experientia petitis fuit absoluta: sequitur alterum genus probationis, quod rationibus atque disputationibus perficietur. Desumuntur autem argumenta à natura, aut essentia subiecti, postquam partes, quæ (antequam ad fœtum perueniatur) incidũtur, methodice examinatæ fuerint: quæ tres numero sunt. Occurrunt enim primo loco Musculi ventris exterioris, abdominis puta, quod Græcis ἐπιγάστριον dicitur. Dein Peritonæum, membrana nimirum abdominis, ipsis musculis subtensa. Tum Vterus ipse. Vesica quidem, licet inter Peritonæum & vterum, sedem naturalem habeat, tamen dum sectio Cæsarea dicta sit, non occurrit, sed inferius paulo in hypogastrio situata est, maxime vero in mulieribus mox parituris, in quibus vterus distentus eam deprimit, potissimum vero, tum cum doloribus partus conflictantur, quo tempore plerunque vacua esse solet, ob perpetuam ad meiendũ

itsi-



irritationem. cuius gratia etiam minus tum spatii requirit, locoq; longe inferiori, quam vbi sectio fieri consueuit, posita est.

De Musculis epigastrii, tanquam de eo, quod primum inciditur: & primum de vulnere, eiusque magnitudine.

CAPVT II.

PRIMO omnium musculos ipsius abdominis posse absque periculo vitæ secari, manifestum est: quod si nulla alia ratione id probari possit, sane vel ex eo liquet, quod Gal. in sua Methodo Terapeutica, modum ostendit, vulnus eorundem artificiosa gastroraphia consuendi. Quod si quis obiiciat, vulneris magnitudinem manifestum minari periculum, idem Galenus abunde satis ostendit, talem vulneris magnitudinem periculosam non esse, dum præcipit, eiusmodi vulnera in toto abdomine esse dilatanda, si minora videantur, quam sufficiant repositioni intestinorum, aut omenti si sint prolapsa nec secus reponi possint. At si quis instet hoc simile non valere, cum insigniter amplum debeat esse vulnus, si modo magnum fœtum viuentem absque læsione extrahere velimus, aut saltem mortuum,

præte-

piætumidum tamen vna cum secundina eximere. Respondetur, quod vulnus, licet valde magnum videatur, ita vt ad dimidii pedis longitudinem (si tanta opus fôret sectione) fieri posset, statim extracto infante, ad longitudinem quatuor, vel quinque transuersorum digitorum coarctatur: imo inde s magis magisque coangustatur, donec vterus, qui elatus erat, plane collabatur.

De Hæmorrhagia, quæ ex sectione Musculorum abdominis contingere solet.

Capvt III.

Etsi res ita se habeat, aliquibus tamen sectio hæc Musculorum periculosa videbitur, ob cōpiosum sanguinis effluxum, licet hactenus leuis fuerit iis, qui operationem hanc peregerunt. Verum notandum, paucas valde venas insignes eo loci, vbi hi musculi inciduntur, occurrere: non enim occurrunt venæ Mammariæ ascendentes, quæ secundum longitudinem rectorum musculorum abdomen conscendunt, quas tamen solas hoc loci periculosam parituras hæmorrhagiam esset metuendum. Et licet aliquando ex improuiso, in curatione Ramicum inciderentur, quæ in

lo-

loco magis periculo obnoxio fit, quam his fit, non tamen ob id necessario moriendum esset. Quod tamen Celsus sedulo cauendū monet, præsertim cum prædictæ venæ, & arteriæ, quæ circa hanc regionem occurrunt, quasi anastomosi coniungantur, proportione tamen cum aliis abdominis partibus obseruata, cum post fœtus extractionē contrahantur, qua ratione fit, vt minus sanguinis effundatur. Verum licet magna fieret sanguinis profusio, ei tamen facile cum iis, quæ sanguinem sistunt, occurri posset: quod Paulus Aegineta suis Enhæmatis in curatione secti calculi, operis sui Libro sexto, perficit.

De loco, quo sanguis, sectis Abdominis musculis, fluere debet.

CAPVT IV.

VT vt res se habeat, parum multumue sanguinis effluat, nihilominus aliquis obiiciet: sanguinem (vt & pus, quod ex vulnere elabetur) post dissectum peritonæum, quod statim etiam secatur, in capacitatem ventris inferioris defluere debere, quo loci putrescens, vt monet Hippocrates 6. Aphor. 20. Intestina corrumpet, multaque mala symptomata inducet. Ad hoc respondeo, fieri hoc non posse, cum hæc abdomi-

nis capacitas non sufficiat, quam pro continendis intestinis, & iis, quæ à natura ob diuersos fines ibi contineri debent, vt in ventriculo, intestinis, & vtero, ita vt si aliud quoddam corpus, potissimum liquidum abdomini ante sectionem fuisset inclusum, statim, facto vulnere, conspectui se offerret, tanquam res naturę molesta prorumpens, imo & intestina ipsa & epiploon, licet corpora sint solida, respectu sanguinis, quæ naturaliter eo loci continentur, elaberentur. Veritas huius rei conspicitur in Paracenthesi Hydropicorum, in vulnere abdominis, & etiam in Enterocele, vbi intestinum, nisi à cute contineretur, prolaberetur.

DE PERITONÆO, ALTERA PARTE, QVÆ incidenda est.

De eiusdem sectione & vulneris amplitudine.

CAPVT V.

PERITONAEVM absque vitæ periculo incidi posse, iisdem Galeni, Celsi, & Æginetæ auctoritatibus, dum de Gastroraphia agunt, manifestum est, cum eiusdem etiam vulnerati curationem doceant. Ma-

targissiensis pluribus in locis, felici cum successu hac curatione vsi sint.

Spasmum in Peritonaei sectione non esse metuendum.

Capvt VI.

NEc etiam spasmus, vti obiici posset, metuendus erit, licet Peritonaeum sit substantiae membranosae, imo (si quis velit) aliquantum neruosae & sensibilis; eiusmodi symptoma etiam tum non tingat, quando licet punctis vulneretur, multo minus si incidatur, id vsu veniet, cum spasmi ex punctione orti, curatio, vt plurimum sit incisio. Sed hoc clarius ex eo patet, quod spasmus non superueniat, etiam in maxima Peritonęi dilaceratione, loco etiam longe periculosiore, quam is sit, vbi sectio nostra Caesarea instituitur: loco nimirum tali, qui nobis maxime commodus & exoptatus videtur. Verum periculum, quod ratione Spasmi impendet, (qualiscunque demum spasmus sit) non facile accidit, nisi dum aliae quae fibrae exquisite neruosae, quales Peritonaei fibrae non sunt, pari robore circa extremitates firmantur, & naturali modo propter rem molestantem, ad suum principium contrahuntur, cum distentione

stum metuendum esse, quod post vulnus curatum remanere consueuit, Ruptura nimirum, quæ propter Peritonæum dissectũ & male consolidatum, relinquitur. Ad hoc respõdeo, euitari posse Herniam, si Gastroraphia à Veteribus vsurpata, ab ingeniosis & diligentibus Chirurgis in vsum reuocetur. Sed quamuis Hernia euitari non posset, tamen malum hoc præsertim mulieribus tolerabile est, modo ipsæ subligaculis, aut solis fasciis repellant, & retineant: aut latos cingulos ad id accommodatos, sub veste ferant, quod absque dolore, molestia, aut manifesta deformitate fieri potest: imo, quod maius est, magno cum mulieris commodo, si forte contingeret eam grauidam redditã, rursus hac sectione (quod aliquando contigit) opus habere. Hac enim ratione minus laboris sectori, minus item doloris mulieri, quæ aliter parere non posset, contingeret. Sed dato eo, quod Hernia hæc, aut molestiã pariat, aut impediat, aut aliquem dolorem ereet, tamen magni boni loco haberi debet, quod propter tam exiguum malum, vnum, imo duo summa mala euitari possunt, quæ alia ratione vitari nõ possent, nimirum tam Matris, quam Fœtus, miserabilis & præsentanea mors. Hæmorrhagia hoc loco metuenda non est, cum Peritonæum sit exsan-

qui in Vesicæ sectione inquit: *Si plus ex muliebri corpore sanguinis profluat; terreri non convenit.* Et tamen sanguis is, de quo eo loci loquitur, qui è partibus sanis & mundis ipsius Vesicæ (modo exulcerata non sit) cuius collum incisum est, promanat, magis salubris & necessarius est, quam sit ipsius Vteri sanguis, cum Vterus indiuiduo minus, quam Vesica prosit. Nec etiam dicendum, propter adeo largam hęmorrhagiam Vterum lethaliter affici; sanguis enim is non propter Vterum, sed propter fœtum iam extractum, vti dictum, eo à natura fuit demandatus. Huic rei testimonio esse potest, quod dum natura nihil sanguinis eo mittit, vel ante pubertatem, vel post ætatem consistentem (dum amplius concipere nequeunt) tum Vterus adeo coarctatur, & exsiccatur, vt in senibus (quemadmodũ in sacra Scriptura) emortuus dicatur.

De loco, in quo sanguis, Vtero secto, colligi debet.

CAPVT X.

QVOD si quis mihi obiiciat, sanguinem, qui ex Vtero secto promanat & impurus est, in capacitatem abdominis cum periculo intestinorum effundi & retineri. Du-

centibus naturali modo suauiter fouetur; & sane melius adiuuatur, quam si artificiali calore foueretur, quemadmodum alibi hac de re problematice acturi sumus.

Vtero inciso, hæmorrhagiam non esse magnam.

Capvt IX.

SVperest vt dicamus, quemadmodum prius factum est, de Vteri incisi hæmorrhagia, cum innumeræ & venæ & arteriæ conspiciantur. Verum primo loco notandum, quod ex Chirurgorum relatu habemus, parum sanguinis facta hac incisione effluere, quorum sane testimonium à veritate & ratione alienum non est. Colligi enim facile potest, fœtum iam adultum maximam sanguinis partem pro nutritione absumpsisse: dein etiam multum sanguinis mammas petiisse, quo in naturam lactis conuerteretur. Idem enim sanguis est, ex quo lac generatur, & ex quo fœtus in vtero materno nutritur, vtpote ex menstruo sanguine ortus: propter eandem rationem in nutricibus plerunque (quo sanguis in lac conuertatur) quemadmodum etiam in grauidis (propter alimentum Embryonis)

grauiores longe ſunt, quam in altioribus interioribuſue) Spaſmum inducere & Symptomata grauia cauſare ſoleat, ita vt & partes nobiles, & etiam totum corpus affiƈiatur, videri poſſet, talia & etiam grauiora mala, ex ſectione Vteri contingere deberet, quando ita grauiter interior, & propria ipſius ſubſtantia vulneratur. Verum experientia, quæ contrarium oſtendit, & dolor vel nullus, vel paruus, quem in hac ſectione mulieres patiuntur, diuerſum nos docent. Oſtendit etiam nobis, partem hanc inſtrumentariam eo loci, aut nullo, aut exiguo ſenſu præditam eſſe, & per conſequens, minus periculo obnoxiam: quam rationem vna cum aliis, quæ diſputationem ſubtiliorem requirunt, tanquam Paradoxum (quod tamen verum) in præſens relinquo, differens in alium, quem maiorem faciam, de hac materia diſcurſum, ne in hac Epitome ſim prolixior.



SECTIO

NE ab incepto ordine recedamus, à Musculis Epigastrii ordiemur. Auctoritatem vero Galeni, quæ 5. Loc. affect. habetur, primum proponemus, quę est de magno atque profundo horum Musculorum abscessu, quem contra aliorum Medicorum opinionem Abscessum esse pronunciauit: qui hac de re dubitarit, eũ locum consulat. Dominus Ambrosius Paræus, & alii, (vt & ego) viderunt Abscessum similem in loco miræ magnitudinis, & summi periculi, ex sententia præstantissimorum tam Medicorum, quam Chirurgorum Galliæ, qui eo erant vocati. Fuerunt autem D. D. Hollerius, Gorræus, Duretus, Budæus Aurelianus, Antonius Franciscus Srampensis, Flexellius Medici: Chirurgi vero Neumusanus, Paræus, Gerardus Brunus, Tramor, præsentes. In consilium etiã adhibiti fuere, licet absentes, D.D. Mocellus, Fernelius, Rassius senior, & alii. Abscessus huius principium erat ad exortũ Musculi recti, & quidem lateris dextri, supra vmbilicum digitis tribus, loco fundo Ventriculi vicino, & iuxta Hepatis regioné, quem locum profundum & ob materiam crassam ibi contentam, valde distétum, præter alia signa, satis dolor ostendebat, qui eo loci augebatur, quando ventre extenso, & pectore dilatato Musculus oblęsus ad actio-

nes has peragendas extendebatur: malum hoc instar alicuius inflammationis œdematosæ post multos diuersos & chronicos sibi inuicem succedentes morbos ortum est, qui tandem morbi, postquam natura tam copiosos humores heterogeneos symptomatice in locum non naturalem reposuisset, desiere. Et hæc in illustri Ludoica Humierea, Antracis domina ad Malherbam syluam, visa fuere. Abscessu hoc aperto (cum ad eam maturitatem, quæ sperari poterat, peruenisset) incredibilis & tanta puris copia summo cum impetu prodiit, vt vsque ad pedes lecti proflueret, & quidem vltra sesquimensis spacium copiosissime effluxit, per vulnus amplum, cauterio actuali inflictum, quod semidigiti crassum, duorum vero latum erat; & vltra tres digitos in altum descendebat, antequam ad locum, in quo tanta puris collectio fœtoris intolerabilis continebatur, perueniretur, ita vt solum Peritonæum vulnerandum restaret: vt hac ratione materia, quæ longo tempore copiose inter ipsum Peritonæum, & pene omnes Abdominis Musculos profusa erat, facile in abdominis capacitatem inter intestina defluxisset, quod ex profunditate aperti abscessus, turundis, specillis & cannulis, quæ indebantur, facile cognosci potuit.

Loyse de Humieres dame d'Entragues, au boys Malesherbes.

tuit. Malum certe hoc deterius multo erat (quoad Musculos Epigastrii) quam hæc nostra sectio, à quo tamen, laus Deo, intra paucos dies fuit liberata, & sanitati restituta. Tantorum virorum, quorum aliqui adhuc superstites viuunt; auctoritas & testimonium, veterum etiam præcipuis testimoniis æquiparari potest.

De Peritonæi sectione auctoritates.

Capvt III.

Qvoad Peritonæi sectionem, Hydropicorum paracenthesin, à veteribus summe vsitatam, & ab Hippocrate adeo celebratam, perpendendam propono: qua in sectione periculum si quod contingat, id non ratione Peritonæi, sed propter subitam & largam aquæ profusionem accidit, vti docet Hippoc. 6. Aphorismo 27. Accedit etiam huic malo vitiosa, vt plurimum, Hepatis diathesis, quæ remedio huic præstantissimo successum adimit. Verum hoc tempore rarius paracenthesi vtimur, eo quod plerique moriantur. Hoc autem idcirco accidit, quod si ea forte aliquando vtantur, serius id fit, cum iam malum altiores egit radices, & diutius occupati fuere (cõsuetudine

& ar-

& arte sic requirẽte) in exhibitione leuiorũ medicamentorũ. Tum malũ non in causam morbi, sed in remedium ex quo auxilium sperabatur, falso refertur, vti à plebeis, rudibus & ingratis fieri consueuit. Nihilominus tamen Hydropicorum aliqui, ob metũ Paracentheseos moriuntur, qui tamen hoc remedio fuissent aliquando curati: potissimum vero ij, in quib. Hydrops fit ex continuatione & collectione alicuius Vomicæ, aut Apostematis interni: quod vbi rumpitur, amandat, prout potest, copiosam hanc materiam in capacitatem abdominis, vnde nõ potest, nisi per huiusmodi puncturam Paracentheseos scilicet remeare, præcipue si sanies sit crassior: cuius Symptomatis causa difficillime, ne quidem ab iis, qui vel maxime acutum cernunt, agnosci potest. Facile tamen absque magno periculo occurri posset, si mali origo nosceretur, & Peritonæi punctio post abdominis Musculos commode esset administrata, id quod sæpius potius fortuitus euentus, quam solers sectionis administratio testatum reddit. Memoria enim adhuc recolo, me (dum Aureliæ in Scholis triuialibus essem) vidisse crassum quendam baiulum (nomine *va, si tu peux*: id est, eas, si tu possis) hydropicum, iam pridem pro desperato derelictum, cui cũ iuxta Sancti Aniani S. Aignan. fanum,

sanum, nebulo quidam magno ictu cultri Abdomen perforasset, & subito copiosissima aqua putrida, riuuli instar fuisset effusa, postmodum curatum, statim, vt prius, absq; tamen recidiua operari cœpisse.

Addo prӕterea vstionem Peritonӕi, per ipsos Musculos: aliter enim [illegible] non posset, quӕ ferro ignito loco valde periculoso fieri solet, in antiqua Hepaticorum suppuratorum vstione. Ex qua vstione si qui moriebantur (quod sӕpius accidisse credibile, propter prӕstantiam partis adeo lӕsӕ, cuius etiam nomine non facile amplius hoc remedio vtuntur) id non propter peritonӕi lӕsionem, sed propter Hepar corruptum fiebat, idque quando purulenta materia fӕcibus vini similis erat: alii vero conualescebant, vt Hippocrates 7. Aphor. 45. testatur.

Prӕter iam dicta, datur & aliud exemplum: peritonӕi nimirum magna illa sectio, ab antiquis vsurpata, & nuper renouata: in prӕsens vero ob Chirurgorum ignorantiam (quod multis exitio est) rara, nimirum dum in Hernia intestinali, intestinum aliquod quasi captiuum continetur, ita vt etiam Voluulo laborent, & morti proximi sint, nisi subita dilatatione rupti peritonӕi secentur. Qua sectione non ita pridem su-

pradicti Vallees pater & filius, & Martinellus Montargissiensis, Borliuetus, piæ memoriæ, vsi sunt. Qua ratione etiam Blæsis quidam ex amicis D. Alexii Gaudini, felicis memoriæ (in sua præsentia, vt mihi attestatus est) à Maupas celebri Chirurgo sectus fuit, postquam vnanimi consensu, aliis auxiliis deficientibus, sic inter ipsos esset conclusum. Tali enim necessitate fit, vt docti, industrii, & prudentes eiusmodi difficilia & gratuia auxilia inueniant, benedictione diuina, in tanto charitatis opere adiuti. Plura adhuc similia mala sunt, quibus hæ duæ Abdominis partes absque magno periculo afficiuntur: altera quidem pars carnosa, nimirum Musculi: altera membranosa, Peritonæum puta. De quibus partim in peculiari tractatu acturi sumus: de aliquibus vero ob similitudinem aliquam, quam cum vtero habēt, in tractatu hoc dicemus.

Montargis.

à Blois.

De Vteri sectione auctoritates.

CAPVT IV.

SVPEREST nunc, vt perpendamus, aliane similia, aut maiora dentur mala, quibus Vterus absque vitę periculo afficiatur, idque testimoniis (si modo haberi possint) comprobemus. Antequam vero Vterum

sectum

sectum cum Vtero alias oblæso conferamus, comparationem inter Vterum sectum & Vesicam, quæ in calculi extractione secatur, tanquam partem vicinam instituemus; quæ sane sectio multis de causis longe periculosior, quam sit hæc nostra sectio Cæsarea, censenda esset.

Vteri incisi, cum calculosi Vesica incisa comparatio.

CAPVT V.

VTERI actio, vt de hoc primo loco verba faciamus, non ad indiuidui, sed speciei conseruationem necessaria est, idque non in omni, sed in certa solum ætate constitutis. Vesicæ vero vsus adeo magnus est, vt ne quidem horæ momentum otiari possit. Plus ergo mali, læsam Vesicam, quam Vterum consequitur: attamen ipsos sæpius non mori videmus. Ex quo colligere est, multo minus ob vterum sectum, mulierem morituram esse.

Epigastrio quin etiam in sectione Cæsarea sufficienter inciso, & dilatato, licet videre, tractare, quin etiam incidere Vterum in quacunq; placuerit parte, cum ad fœtum inueniendum, tum commode extrahẽdum,

&abſque matris periculo. Hoc vero in viſitata Veſicæ in perinęo ſectione, fieri non poteſt, vbi ſolum palpando progredi licet, ſiue in ea incidenda, ſiue in calculo, (ſiue is vnus, ſiue plures ſint) inueniendo, & quod maius, in eo extrahendo: ita vt ſæpius etiam exercitatiſſimi Lithotomi fuerint coacti ab incepto opere, re infecta, deſiſtere: aut certe Veſicam arripere, dilacerare, & inſtrumẽtis portionem eius cum calculo auferre. Poſtmodum rei huius ignaris, membranam eſſe, qua peculiariter calculus fuerit inuolutus, qua mediante veſicæ adhæſerit, oſtendunt. Verum difficile admodum eſt huic opinioni, quidquid hac de re à quibuſdam vel dicatur, vel ſcribatur, idque grauibus de cauſis, fidem adhibere. Si enim Calculus membrana velut peculiari inuolucro eſſet obuolutus, tum nec dolorem, nec moleſtiam, nec vrinæ aliquam ſuppreſſionẽ, quod alicuius eſſet momenti, parere deberet. Quare ergo, tanto periculo ſectionis, præter neceſſitatem temerarie quis ſe ſubiecerit? cum tamen nemo facile tanto periculo, niſi ſanitatis cauſa coactus, ſe ſubmittat. Tunica enim hæc, quę ipſum inuolueret, cum ſit inſenſibilis, leuis, & vnctuoſa, impediret ne ſua aſperitate calculus veſicam attereret, qui vlcus veſicæ eo loci vbi reſidet, cauſa-

causaret: & si vlcus non esset, nec etiam pus promanaret, ratione cuius mordicatio in partibus vicinis contingeret. Quod si quis obiiciat, dato eo, quod ita res se habeat, quoad vlcus & dolorem vlcerosum, nihilominus tamen dolor grauans adesset, propter calculi magnitudinem; & etiam dolor tensiuus, qui propter ipsius magnitudinem obturando contingit. Sed quæro ego, quomodo, & ex qua materia calculus ita augeri potuit, cum membranæ fuerit inuolutus. Si enim calculo adhuc paruo existente, membrana hæc nata est, debuit postmodum impedire, nec viscidit as illa vrinæ calculum attingeret, neue ei agglutinaretur, quæ vnica ipsius adauctionis materialis causa est, quemadmodum & generationis causa fuit. Si quis respondeat, membranam hanc, magno existente calculo, natam; quæro vbinam ex semet principium sumpserit. Non dicetur, ex parte superiore calculi, aut ex ipso natam esse; necessum ergo, vt ex aliqua vesicæ parte orta sit. Quod si ita sit, quomodo quæso adeo parua & crescens adhuc, potuisset Calculum iam magnum inuoluere, aut ipsi se adiungere, qui semper in vesica humida vagatur, & de loco in locum mouetur? Adeo hoc absurdum est, vt refutationem non mereatur. Licet enim in aliis

aliquibus corporis partibus, præter naturę modum aliquando Calculi oriantur, non tamen eadem est ratio, ob innumeras, quæ adduci possunt causas, quas huic loco inserere lex vetat Epitomes, cum alibi id commodius tractari possit. Verum concesso, rem ita se habere, videtur tamen debuisse tunicæ huius ortum hoc boni attulisse, vt auferendo attritionem, exulcerationem & dolorem, necessitatem etiam sectionis adimeret, quod tamen non fit: multi enim coacti, magno cum vitæ periculo sectioni se subiiciunt. Ne tamen cum aliquo, qui ex præiudicio iis, (qui hoc tradidere) assentiatur, aut qui velit huic errori sub specie sententiæ receptæ, amico alicui vt gratificetur, patrocinari, in disceptationem veniam, huic sententiæ, quantum licebit, vt & alii fidem adhibebo donec melius & rectius huius rei veritas explicetur.

Tertio, vt ad collationem nostram redeamus, in Perinęo plures insignes venæ, arteriæ, fibræ, musculi, nerui, sphincter, vasa spermatica vicina, tendines & ligamenta occurrunt, quæ in quærendo, incidendo, dilatando, aut potius crudeliter ipsam Vesicam in perinæo plurimis noxiis instrumentis dilacerando facile, & quidem non sine periculo offendi possent. Horum autem

tem nihil, dum Vterum incidimus, in Epigastrio occurrit, & propterea minus periculosa, quam sit Vesicæ sectio, quæ tamen non semper lethalis.

Quarto: Vesica, quæ inciditur, vtplurimum valde exulcerata est: econtra vero Vterus dum secatur, sanus est, quoad seipsum, & consequenter minus periculi eo læso impendet, & facilius curatur.

Quinto: cum fieri non possit, quin in vtraque sectione hæmorrhagia fiat, ex enarratis rationibus patet, sanguinem, qui ex secto Vtero promanat, impurum, superfluum esse, & si retineretur, noxium futurum: non vero periculosum si effluat. Econtra vero sanguis is, qui ex Vesica calculosi incisa promanat, naturalis est, purus, vtilis, si retineatur: noxius vero, si effundatur, etsi sectorum aliqui conualescant. Quare ratione huius etiam facilius & melius sectio nostra Cæsarea administrari poterit. Sexto & postremo: ex sectione Vesicæ, vtplurimum infinita symptomata, quæ euitari non possunt, remanent, quæ eam formidabilem reddunt. Et inter cæterea, perpetuum per vulnus vrinæ stillicidium incurabile remanet, cum vulnus vtplurimum coalescere non possit, quod præter dolores

summos, & fœtores maximos molestum valde symptoma est: eius enim causa hominum societate & conuersatione abstinere aliquem cogit: neque potest, seu pedes, seu eques, seu decumbens, seu sedens, aut stans, negotiis suis præesse; sed quod maximum, sæpius mors subsequitur.

Viceuersa in sectione Cæsarea, nihil horum accidit, nec etiam quid simile superuenit, sed solum ruptura, quæ tolerabilis, & quę facile perferri potest, vt plerunque & aliæ rupturæ. Sed & ruptura hęc euitari potetit, si modo recta Gastroraphia, quæ tamē necessaria non est, adhibita fuerit. Sæpius enim ruptura vt remaneat, ob futurum partum, perutile est, vti superius à nobis fuit propositum. Hæc omnia licet sint cognita, videmus tamen propter consuetudinē hanc Vesicæ sectionem adeo difficilem, cum dolore & periculo coniunctam, experi, licet longo tempore euitari possit, imo sæpius omnino non admitti; quod tamen sine magni doloris perpessione fieret, (de omnibus tamen non loquor) aut saltem absque vitæ periculo. Reperiuntur enim, qui per annos quadraginta calculum gestarunt, qui tamen mortui non sunt; ita vt ii, qui hoc quærunt remedium, similes sint iis, qui vltro se supplicio & morti subiiciunt. Quare ergo se-

ctio

ctio hæc Vteri, quæ Vesicæ sectione lõge tutior, facilior, vtilior, magisque necessaria & vrgens est, (adeo vt nisi cito occurratur, metus sit, ne misere eademque hora mater vna cum fœtu pereant) non inquiritur, recipitur, & exoptatur, cum adeo sit vtilis & necessaria?

Discursus de extractione Calculi per Hypogastrium.

Capvt VI.

Si Cæsaream sectionem, quæ in Epigastrio fit, tanta ipsius aut facilitas, aut vtilitas, nobis commendare debet: certe longe magis difficilia & ineuitabilia Symptomata, quæ ex sectione Calculi superuenire solent, nos à sectione Vesicæ, quæ in perineo fit, absterrere debent. Aut certe, vt quid melius in humanum genus conferamus, nobis hæc res stimulum addere debet, vt modum aliquem meliorem & commodiorem, quo calculum extrahere liceat, inueniamus: qualis erit, si non amplius in perinæo, sed in Epigastrio, (vt in sectione Cæsaræa) sectio instituatur. Quod tum facile à quolibet vero Chirurgo præstari poterit, cum prius ipsi ab Hippocrate, in iuramento foret interdictum, cum more antiquitus re-

cepto, tantoque vti ostensum periculo, in perinæo solum sectio fieret. Hac ratione innumeris modis melius, doctissimorum simul & exercitatissimorum Chirurgorum opera ægrotis succurretur: quod hactenus à paucis solum circumforaneis impudentissimis, temerariis & ignaris factitatum fuit, qui (excipio bonos & doctos) monopolio inhumano crudeliter & corpus & crumenam, tam diuitum quam pauperum hactenus tractarunt, & adhuc exercent, dum ipsorum opera vti oportet, quocunque ab ipsis expetito præmio, numerataque prius pecunia. Quod eorum negligentia fit, qui melius quam ab his indoctis fiat, hoc præstare possent, & deberent: de aliis non loquor. Verum noua hæc sectionis permutatio, quam propono, non absque plurimis rationibus fieret, & ad exemplum nostrorum antecessorum neotericorum: cum antiquorum sectio, quæ Celsistica nominari potest, iam permutata sit in Marianam. Celsus enim non ante nonum annum, neque post decimum quartum sectionem admittit: Mariana vero sectio, beneficio nouorum instrumentorum, omnes ætates admittit. Sunt tamen aliqui, qui certis rationibus freti hanc Celsi sententiam adeo angustis terminis inclusam, hoc pacto interpretentur:

tur:

tur: impossibile esse, vt in adeo tenella ætate in anum infantis, ipsius lithotomi duo digiti absque noxa indi possint, ad calculum ad perinæum adducendum. Post annum vero decimumquartum, quum iam calculosi magni & pingues redditi sint, digitos ipsius lithotomi ad calculum pertingere non posse, vt eum adducant, dirigant, & firmiter in perinæo retineant, ad sectionem supra calculum faciendam. Quæ Celsi operatio vulgariter Guidoniana vocatur: quoniam instrumentis à Guidone propositis perficitur, cui aliæ etiam ætates cum sint suspectæ, ad annum etiam decimumquartum solum sectionem concedit, secutus auctoritatem Brunonis, cui (quemadmodum huius artis circumforanei) in totum fidit, quemadmodum & Hippocrates suo tempore fecit. Attamen fieri non potest, vt tempore Guidonis, more Celsi, non in omnibus ætatibus sectionem vsurparint, cum non solum patrum memoria, sed etiam nostro æuo, infinitis in locis, tam in senibus, quam iuuenibus vsurpetur, idque non minori successu, in villis & pagis, quam in magnis vrbibus, Mariana sectio administratur. Quare aliquando eius fui sententiæ, primos characteres numerorum duarum ætatum à Celso expressarum in exem-

plari-

pluribus ex primo autographo transcriptis, fuisse mutatos: qua in re æque facile Typographus errare potuit, ac lectores sibi persuaderi passi sunt. Dum enim Medici & Chirurgi docti, locum hunc Celsi legerent, sicco pede transierunt, tanquam sectionem hanc non curantes, cum ipsorum non esset ex concessione, aut potius defensione Hippocratis, hanc instituere. Sed quod maius est, is qui viginti, triginta, aut quadraginta assecutus est annos, minus pinguis est, quam is, qui quatuordecim solum est annorum, & per consequens facilius calculus in perinæo per anum retineri potest. Verum siue ita res se habeat, siue contra, certum tamen hoc est, quod quocunque modo sectio adhibeatur, quemadmodum infantes valde iuuenes propter teneram ætatem & mollitiem, absque magno periculo, sectionem hanc Vesicæ perferre non possunt: sic etiam nec ii, qui senio iam sunt confecti, propter virium imbecillitatem sustinere queunt. Et hæ sunt meo iudicio duę rationes, quæ Celsum mouére, vt tempus sectioni commodum limitaret. Hoc posito, scribendum erat, ab anno nono aut decimo, vsq; ad annum quinquagesimum, aut sexagesimum: idem iudicium esse debet de Mariana & aliis, quæ inueniri possunt, sectionibus. Quam enim facilis &

commu-

communis sit error, in substitutione numerorum, ex varietate dosium, quæ obseruantur, tam in celeberrimis veterum Antidotis, quam in ipsa Theriaca adeo celebri & vsitata, colligere licet. Verum vtcunque res se habeat, ex his manifestum fit, quantum periculi sit in hac operatione, idque omnino, vel saltem ex parte, propter partem, quæ inciditur. Hinc factum, vt minoris periculi gratia, & quo major posset sectio fieri, faciliusque multo iis, qui in prædicta ætate sunt constituti, succurratur, sectio Mariana fuerit inuenta: quæ tamen non minus periculosa, quam Celsi, imo sępius periculosior, idque ob difficultatem inueniendi lapides in Vesica iam secta, lacerata, & dilatata. Qui secandi modus, omnium maxime ad Celsi aut Guidonis sectionem accedere censetur, in qua etiam metus non est, Vesicam cum calculo arripiendi, quod in altera metuendum est.

Exempla historica ad comprobationem nouæ huius sectionis Vesicalis facientia.

Caput VII.

Etsi iam pridem summa cum diligentia perpendissem, ea quæ nunc proponun-

ponuntur, antequam de iis quidquam vel audiuissem, vel legissem: mihi visum fuit, consultum fore: si res apprime vtilis, magisque nunc, quam vnquam necessaria, proponeretur. Præsertim vero cum huius operationis feliciter peractæ exempla occurrant, vbi prius varia & diuersa remedia frustra adhibita forent. Verum modus hic extrahendi calculum primo vsui patus fuit, salute iam ægri desperata, partim temeritate quadam, partim vero artificio, à Francone, qui inter Chirurgos præstantissimos nostri temporis habetur, idque in puerulo, parentis precibus (id summe expetentibus, vt ipsemet scribit) victus: ne tamen quis posthac hac sectione vtatur (quod valde miror) prohibet. Metuens forte ne collegas offenderet, neue temerarius postmodum censeretur, si forte secto puero, in sectione hac adeo noua & inusitata ob hanc, vel aliam aliquam causam, malum aliquod accidisset.

Huc etiam referri potest historia ipsius militaris arcigeri Mudonensis calculosi, quæ à Monstreleto descripta, cum iam morti adiudicatus esset, concedente tamen Magistratu, ob instantem petitionem Medicorum Lutetianorum, cui venter apertus fuit, quo lapis perquireretur, & locus lapidis obser-

Frāc-archer de Meudon.

obſeruaretur: repoſitis dein inteſtinis, vulnus conſutum fuit: ipſe vero ſanitatem priſtinam adeptus eſt: ſentētia etiam, qua morti erat adiudicatus, remiſſa, propter dolores, inuite tum ab ipſo perpeſſos. Dominus Pareus, (qui tanquam miraculum quoddam lib. 24. cap. 16. hiſtoriam hanc citat) duo in Chirurgia apprime notatu digna, quod tamen facile ab ipſo præſtari potuiſſet, non exponit. Primum eſt, Calculuſne in ipſo Rene, aut in Veſica ab ipſis quæſitus fuerit. Alterum, quo in loco exteriori ſectio hæc cœpta fuerit: an videlicet in lumbis, aut alia in parte ipſius Epigaſtrii verſus ilia.

Quo ad primum, veriſimilius eſt in Rene potius, quam in Veſica quæſitum fuiſſe: idq; non ſolum idcirco ꝙ mentio fiat doloris nephritici, & lateris, (q̃ non ratione calculi in veſica contenti, ſed calculi renalis accidunt) ab ipſo ꝑpeſſi: verum etiam, cum hæc ꝑquiſitio ideo fuerit inſtituta, vt rei alicuius nouæ, notatu dignæ, anteaque non viſæ, fieret experientia: vt eſt inueſtigatio calculi in Renibus hominis viuentis, & eiuſdem non cōſuetæ ſectionis curatio. Veſicæ enim calculum à tantis viris non fuiſſe quęſitum facile credi poteſt, vt qui de loco & curatione talis calculi non ambigerent, præſertim cum iam pridem ſectio Celſiana & Guidoniana

foret

foret vſitata, in qua in viuentibus perinæum inciditur, & in mortuorum calculoſorum veſicis calculos reperire conſuetum ſit.

Quo ad alterum, coniectari licet, ſectionem hanc externam non per lumbos, ſed per alium locum factum eſſe, cum multa ſint, quæ ſectionem per lumbos impedire poſſint. Primum quidem loci craſſities, vbi cum magno periculo plurimi muſculi, tam interiores quam exteriores, iuxta ipſorum principium incidi neceſſe. Dein etiam non ſolum vertebræ ſpinæ, & ipſarum apophyſes proxime adiacentes, ſed etiam vena caua & arteria Aorta, cum manifeſtis ipſarum ramis: Meſenterium item & Pancreas tali ſectioni impedimento eſſe potuere. Quare vt ad latus ipſius Abdominis ſectio hæc facta ſit, oportet, eo nimirum loci, quē Græci κενεῶνα, Latini Ilia vocant, inter lumbos & locum eum, vbi Cæſarea fit ſectio, altiori paulo loco, quam is ſit, per quem in Epigaſtrio, vti propoſuimus, calculus veſicæ extrahi debet. Quod exinde ſatis colligere licet, cum dictum ſit, inteſtina fuiſſe repoſita, & vulnus conſutum, quod in lumbis in regione Renis affecti fieri non potuiſſet.

Sed vt de ſectione Renis agamus, etſi demus, nunquam hanc ſectionem attendendam eſſe, attamen probabiliter de ea rationibus

nibus Medicis & analogice diſputare licet, poſſe eam malo vrgente, abſq; tamen mortis neceſſitate, perfici. Verum, præter obiectiones, quæ circa hæmorrhagiam renis inciſi fieri poſſent, & circa periculoſam puris, quod in Abdomen illabi poſſet, retentionē, iam ſolutas, alia inſtantia vti licet, propter periculum quod immineret duabus partibus hac ſectione læſis, Iliis puta ſectis, & Rene vulnerato. Quod ad Ilia, ex prædictis rationibus liquet, eorum ſectionem non eſſe neceſſario lethalem. Præter allatas rationes analogice adhuc argumentari licet, quod aliquando in parte ęque periculoſa, imo periculoſiore quam ſint Ilia, fiat, & quidem beneficio naturæ, amplum ſatis vulnus pro lapidis exitu nō ſolum calculi veſicæ, (quod in perinæo fit) aut calculi in vretere contenti (quod per hypogaſtrium iuxta inguina fit) ſed etiam Renalis (quod caſu per lumbos fit) quæ tamen omnia abſque morte patientis contingunt. Quę ſingula oſtendunt, idē quoque circà Ilia (loco ad calculi renalis extractionem commodiori) maiori ſecuritate fieri poſſe. Res enim hæc dubio caret, non ſolum ob id, quod plures hac de re ſcripſerint, & inter cæteros D. Dalechampius: ſed id etiam plurimorum Medicorum & Chirurgorum fide dignorum teſtimoniis

F patet,

patet, visos esse in nephriticis per lumbos (loco valde incommodo) magnos calculos è Renibus reiectos per Apostema iis in locis periculosissimis genitum, vt aliquando à Chirurgis apertum, aliquando beneficio naturæ ruptum. Qua in re necessum fuit, vt vna cum Rene plurimę partes corporis tam externæ quam internę grauiter fuerint oblæsæ, quæ æque, imo multo magis periculo subiectæ sunt, quam ipsa Ilia, imo quam ipsum Epigastrium. Quare non adeo metuendum Epigastrium incidere, non solum in extrahendo fœtu sectione Cæsarea, quam sectione calculi Vesicæ eo modo quem in Hypogastrio proposuimus. Sed & in aliis periculosis Epigastrii partibus non minus periculosa superueniunt symptomata, quæ tamen lethalia non sunt. Tale est id quod accidit Anno 1557. in pago Han cognominato, in Algia Normandiæ, vbi quidam Carolus Trahardi nomine, à longo tempore nephriticus, cum dolores relicto loco consueto anteriora petiissent, regionem nimirum vreterum, tanquam dolore Colico laborans, frequentibus clysmatibus tractatus, quorum aliquot ob mali vehementiam euomuit, tandem inter Inguina & Ilia tumor insignis obseruatus, quem Iacobus Dux Chirurgus exercitatissimus aperuit, vnde lapi-

pays d'Auge en Normandie.

lapidem fabæ magnitudine vna cum pure vrinæ permixto extraxit. Ex situ anteriora versus vergente, facile fuit colligere, non ex Rene, vt qui in posteriore parte est, calculum prodiisse: quare oportet (siquidem vrina per locum semper distillarit) fuisse ex vretere circa eum locum, vbi vesicæ iungitur: non enim verisimile fuisse calculum vesicæ, partim cum alibi sit locata (in medio nimirum Hypogastrii) partim quod vrina, quę per alterum vreterem in vesicam deferebatur, per penem, pro voluntate ægri reddebatur: nihilominus tamen per locum etiam incisum semper vrina mingebatur: quare ad eam excipiendā Chirurgus (vt artis est) spongiam ipsi præparauit. Excepto perpetuo vrinæ stillicidio alias bene valens, adhuc per annos quatuor vixit, tandem vero Angina periit. Simile etiam à D. Bellangerio Medico Regio, Lutetiæ in hospita ad canistrum, iuxta templum Sancti Pauli visum, quæ & calculum similem, & per simile apostema pari in loco ortum, reiecit: paribus quin etiam symptomatibus relictis, ita vt vrinam per annos viginti & plures per vulnus reddiderit.

Quo ad Renem (alteram partem, quę absque magno periculo secari non posse censetur) videtur, saluo tamen meliori iu-

dicio, vulnus non necessario esse lethale: siue spectemus actionem & vsum proprium (modo alter Ren sanus & integer sit, suoq; satisfaciat officio) siue spectemus ipsius substantiam, cum per se satis sit oblæsus, imo sæpius maxima ex parte putridus, & per consequens ex parte, vel ex toto inutilis: ita vt à bono & exercitatissimo Anatomico, qui solerti sit manu, & in similibus casibus exercitatus, possit facile & cum honore hæc sectio administrari, sed in corpore robusto, si cum iudicio solum dissecet eum locum, vbi calculum persentit, cauendo, quoad fieri potest, ne vel insertionem venæ emulgentis, vel vreteris exitum lædat: postmodum vero consolidationem naturæ committat, eam enim à natura præstari posse, præter rationem non est. Illustrissima Ducissa Ferrariensis felicis memoriæ, cum doloribus nephriticis per certa interualla esset obnoxia, grauissimo item sanguinis & vrinarum purulentarum mictu, exercitii loco deambulationibus vtebatur: à quo exercitio cum abstinuisset, & quieti corpus dedisset, curationem malo contrariam quærens, & sic aliquando leuibus quibusdam mediis contra calculum vsa esset, tandem hæ excretiones desiere. Quare cum alio morbo interiisset, corpusque fuisset apertum, in rene paruus

calcu-

calculus repertus fuit, circa quem cicatrix pulchra, sana & munda, dimidii digiti longitudine erat, quod fidem faciebat, cum tam excretiones, quæ per vrinas fiebant, cessassent, quam quod consueti dolores nephritici remisissent, calculum hunc multo maiorem fuisse, qui etiam vlcus causasset, ex quo prius sanguis, dein & pus emanarit, quod cicatrice erat consolidatum: quod etiam Hepati, Pulmonibus, aliisque partibus principibus accidit. Sed cur quæso simplex incisio corporis renalis tuto fieri non posset, diligenti ad calculum extrahendum adhibito artificio, quandoquidem ipso valde saucio, purulento, & fere ex toto putrido existente, beneficio tamen naturæ, hos calculos per maiorem continui solutionem, quam simplex hæc sit incisio, eiici videamus, & quidem tanta cum interioris substantiæ suę deperditione, vt sæpe sola ipsius membrana integra remaneat, quæ magnum aut plures mediocres calculos, instar pecuniæ in crumena sonum edentes, continet. Quandoquidem ergo ex rene adeo affecto, aliquando calculus per lumbos exitum quærat, (vti superius dictum) quemadmodum etiam in aliquibus, is qui in vretere continetur, per latus Hypogastrii & Vesicæ, similiter calculus per perinæum: quare non commodior

aliqua via quæritur, malo huic adeo despe-
rato succurrendi? Per hæc & similia loca di-
uersa, fit in aliquibus calculorum expulsio:
sed longe frequentius Vesicæ calculus per
perinæum expellitur, propter locum magis
decliuem, quo omne corpus graue natura
sua tendit. Et hæc, meo quidem iudicio, po-
tior est causa, quam sit vlla alia, quæ primos
lithotomos, & ad ipsorum exemplum, eorũ
sequaces adegit, vt calculum in Vesica con-
tentum per perinæum potius, quam per hy-
pogastrium extraherent: hac ratione se mo-
tum naturæ imitari, quod ipsius artis est, sibi
imaginantes: quamuis (verum modo si dice-
re velimus) hic naturæ motus symptomati-
cus potius sit, & via huic malo non conue-
niens, quam quod per legitimam Vesicæ ex-
cretionem fiat, quæ naturaliter per perinæũ
nil euacuat. Verum incredibilia hæc censeri
non debent ab eo, qui non vidit, nec legit
vnquam, per lumbos apostemate affectos,
calculum renalem egredi posse, quemad-
modum is, qui in vretere consistit, per imam
partem Iliorum, vti dictum: siquidem Ren,
licet calculosus non sit, sed solum vlceratus,
& ipsi detur via per vreterem naturaliter se
euacuandi, materiam tamen purulentam in
eo contentam, sæpius per lumbos excernit.
Id quod post diuturnos dolores nephriti-
cos

tos & vrinas purulentas sæpius vsu venire solet, quæ etiam iis in locis fistulas incurabiles, sed tamen tolerabiles, imo, ad euitandum maius malum, exoptatas causant; quod duobus in ægris, inter cęteros quam diligentissime animaduerti. Castellione enim ad Lænum, mulieri cuidam corpulentæ, post diuturnos dolores nephriticos, circa exteriorem regionem renum, abscessus magnus ortus, qui à Magistro Gerardo Chirurgo Regis Henrici, me præsente, cauterio actuali fuit apertus, vnde pus solum absque calculo ęffluxit: ipsam vero fistulam cannula argentea concaua, & candela quinque aut sex digitorum longa, per annos viginti sex & plures, apertam reseruauit: hac ratione, ab vrinarum purulentarum excretione, & renum dolore liberata: quæ duo symptomata, quando emissarium hoc occludi volebat, statim recurrebant. Similis morbus cum in Abscessum esset versus, meoque consilio apertus, simulque diu apertus reseruatus, iuuenem quendam Paillet nomine, viginti aut viginti vnius annorum Guignouillæ Belsiæ à talibus nephriticis doloribus & vrinis antea valde purulentis, liberauit, ita vt postmodum bene valuerit, vsq; dum vxore ducturus esset, tum subitanea morte periit, cum tempore

à Chastillion sur Loin.

á Guignonuille en Beausse.

messis ex curru mergitibus onusto delapsus esset. Quare vt tandem huic proposito finē imponamus, vnum propter rationes allatas explicandum superest, quod nimirum in immuni illo sagittario, calculus non per lumbos, sed per Ilia aperta, & quidem in ipso rene affecto, non autem in Vesica fuerit perquisitus: quod nihilominus tamen pro tuenda sententia nostra facit, siue pro comprobatione opinionis nostræ de extractione calculi Vesicæ per Ilia, ad modum Franconis: siue ad sectionis nostræ Cæsareæ cōfirmationem. Verum quod ad exempli huius imitationem attinet, nolo quis sibi persuadeat, velle me ex rationibus allatis statuere, vel consulere, vt à quoquam temerarie talis sectio Renis instituatur, nisi prius simili sectione aliquoties fuerit vsus. Quemadmodum enim vna hirundo Ver non facit, nec vna solum serena dies Æstatem pollicetur: sic vnica experientia non potis est, has difficultates resoluere. Præterea Lithotomus talem sectionem nunquam tentarit, quin prius conuenienti instrumento, quo in loco calculus latitet, tentarit, licet plura & quidem vniuoca, quæ id attestentur, signa habeat, quod tamen in Rene fieri non potest, licet in Vesica hoc fiat. Et demus, de calculo Renali certo nobis constare, attamē

calcu-

calculi huius extractio, maiori ex parte aut superflua, aut suspecta, aut saltem raro necessaria est. Superfluam dico, si nimirum alter ren sit sanus, adeo suo satisfaciēs officio, vt quasi vtriusque munere fungatur, quod sæpius accidisse manifestum, dum nimirum vnus illorum diu fuit putridus (cui rei testimonio esse potest, puris cum vrina copiosa excretio) nihilosecus tamen alter attraxit, transcolauit, & sufficienter vrinam euacuauit. Suspectam dico, si nimirum ambo renes pariter sint affecti; tum enim si alter eorum secaretur, parum fructus inde perciperetur, nisi pari pacto & alter incideretur, quod tamen præsentaneam mortē ostenderet. Parum necessariam dico; nam ob alterum solum renē vlcere, aut alio morbo affectum, nihilominus tamen viuere licet, si alter sanus sit, vicioque careat. Verum hoc quidem est, si ambo simul omnimoda obstructione laborent, calculis adeo magnis, vt in Vreteres deuolui, aut ex Vreteribus vesicā ingredi non possint (quod ex vesicę vacuitate tum patet) tum hoc remedium cum alia desint, non absque ratione proponi potest, ita vt Renum alteruter secetur: cuius gratia etiam sectionem nostram Cæsaream, si alio modo partus promoueri non possit, proponimus. Quod non adeo difficulter ab ægrotis, tan-

 tis

tis tum ob calculum doloribus discrutiatis impetrari potest, cum ipsimet vel cum periculo hanc sectionem expetant.

In huius tractationis, in qua plixior fui, quam animus erat, fine, negligentię mihi accusandi venere ii, qui cum Lutetiæ adeo feliciter rem tam periculosam, tantà etiam cum vtilitate coniunctam, tentassent, quod id literis non consignarint, imo tabulis æneis insculpserint, posteritati eas consecrantes, & vt rem admiratione, imo sæpius imitatione dignam, eas in Scholis ipsorum erigentes. Res sane hæc tabulas illas meruisset, quæ in Germania esse dicuntur, magna quædam Paracelsi miracula attestantes: qui tamen maiorem partem suarum receptarum & secretorum secum abstulit, ex suis ignibus, sectatoribus suis, parum aliud quam frigidos cineres relinquens.

Responsio ad Obiectiones, quæ fieri possunt contra sectionem, quæ fit in Hypogastrio, in parte ipsius Vesicæ membranosa.

CAPVT VIII.

NON me latet, quin primo intuitu valde mirum videatur, concedi Vesicam absque

absque vitæ periculo in parte membranosa incidi posse: quod tamen necessario fieri debere videtur, si modo hoc, quod proponimus verum sit, & quod in hypogastrio accidisse auctoritatibus comprobamus. Hæc enim recepta est opinio ad tutandam sententiam Hippocratis, qui 7. Aphoris. 18. sine vlla distinctione statuit, (quod & omnes ipsius interpretes, ipsi assentiri volentes, faciunt) Vesicæ læsionem & incurabilem, & lethalem esse. Quod tamen intellexisse debuisset, cum non ignorauerit suo etiam tempore, in extractione Calculi, ipsam fuisse sectam, quam sectionem in iuramento suo concedit, non tamen manum operi adhibet. Fit ergo in parte membranosa, licet non sit vere & simpliciter membrana, dum in corpore sita est: nec etiam vere talis est, vt esse apparet, quando à longo tempore fuit exsiccata, extensa, & inflata, sed potius ad aliquam carnis speciem referri potest, cuius carnis Galenus diuersas facit species. Nam vt in Commentar. 6. in 6. Epidemic. refert Hippocrates carnem appellat non solum eam, quæ Musculorum est, sed etiam intestinorum, & Vesicæ. Quem etiam ipse secutus est 7. de Anat. administr. dum inquit: Carnis non eadem vbiq; forma: quæ enim Muscu-

lorum

lorum est magis ruber, & mollior est, quam sit ipsius Ventriculi, Vesicę, Vteri, & omnium Intestinorum caro.

Detur Vesicam ipsam valde membranosam esse, imo membranam & vere spermaticam, eiusmodi tamen est & Peritonæum & periostium, cornea ipsius oculi tunica & Meninges cerebri, quæ tamen rursus consolidantur, imo & ipsum Cerebrum consolidatur, quod tamen tempore Hippocratis non fuerat obseruatum, vti posterioribus temporibus factum.

Verum Vesicam facile in parte membranosa cōsolidari, exempla multorum Vulnerum abdomini inflictorum, per q̄ vrina pura promanabat, quæ tamen curata fuere, attestantur. Et quare hoc Vesicæ non vsu veniret, quod tamen in ipsis intestinis tam tenuibus quam crassis obseruatur, imo in ipsomet Ventriculo, quod sæpe attestatur non solum Chylus, sed etiam cibus recens assumptus, subito è vulnere incoctus prodiens, & tamen hi non moriuntur. Hippocrates tamen omnia hæc magna vulnera non secus pro deploratis habuit, quam ipsius Vesicę vulnera: quare Hippocratis sententiam tueri si velimus, necessario Galeni dicto ἐπὶ τὸ πλεῖστον, nobis vtendum erit.

Exem-

Exemplum alterum sectionem hanc comprobans.

Capvt IX.

EA quę hactenus dicta fuere, prӕterquā quod Franconis exemplo comprobentur, aliter adhuc confirmantur: exemplo nimirum ipsius Cueur de Chesnè hospitis Aurelianensis, ad insigne floris Lilii, qui cum 4. Idus Feb. anni 1560. pugione vulneratus fuisset, & iam per dies nouemdecim vrinam per vulnus solum reddidisset (signum manifestum partis superioris, & membranosӕ ipsius Vesicӕ lӕsӕ) & à Florentio Philippo catheter per penem Vesicӕ inditus, & in eo per paucos dies detentus fuisset, subito perfecte curatus fuit. Cuius rei testes esse possunt D. D Rassius, & Ambrosius Parӕus: quӕ curationes adeo sunt frequentes, vt hac de re dubitare non oporteat.

SECTIO IV.

Tertia huius sectionis probatio, quӕ Historiis & casibus, qui huic parti accidere, longe difficilioribus, quam sit Cӕsarea nostra sectio perficitur: idq; Auctoritatibus, cum hac de re hactenus nemo scripserit, deficientibus.

Capvt

CAPVT I.

RELICTA tractatione, quæ fuit de sectione Vesicæ, ne præter propositum Vteri tractatum deseramus, nunc cum sectione nostra Cæsarea, alios casus longe periculosiores, qui Vtero accidere, qui tamen respectu sui non sunt lethales, conferamus: quos in quinque classes disponemus. In prima agemus de Mulieribus, quæ se ipsis ignorantibus Vtero gestarunt, in quibus fœtus mortuus & putridus causa fuit, vt & Vterus in corpore putresceret, ita vt temporis progressu interierint, quę tamen superuixissent, si male cognito, tempestiue sectione hac ipsis auxilium latum fuisset. In altera de Mulieribus, quarum aliquæ puerpuræ fuere, aliquæ vero non, quæ Apostemate Vteri laborantes, apertæ fuere, non sectione Cæsarea, sed cauterio actuali Abdomini impresso, quæ tamē non modo non mortuæ, verum etiam nec facultate concipiendi priuatæ fuere; quæ tamen operatio, quam sit Cæsarea sectio, longe peior. In tertia de Morbis Vteri, circa interiorem partem fundi ipsius putrefacti, & quidem tanto cum vlcere, vt fœtus mortui, è capacitate Vteri ad intestina fuerint prolapsi, & inde per Epigastrium extracti,

(quo

(quo loci magnum solum Apostema esse, suspicio erat) absque tamen matris internecione, aut postmodum Vtero gestandi facultate ablata, Vtero naturæ beneficio consolidato. Quarta continebit Historias Mulierum, quibus Vterus prolapsus & putridus, absque vitæ periculo totus, & quidem sectione, vstione, aut ligaturis ablatus fuit. Quinta, historias Mulierum, quibus vterus valde absumptus & putridus, tandem sponte, absque tamen morte, aut morbo subsequente excidit, proponet.

Classis prima, ternas continens Historias.

Capvt II.

HISTORIA I.

Vdovica Popard, Nicolai Seuin Campi vastati dicti Aurelianensis vxor, ...m propter febrim quartanam, qua detinebatur, Menstrua suppressa esse (quod plerumque vsu venire solet) existimaret, tamen ...nceperat. Verum cum se grauidam non ...picaretur, vsa medicamentis, venæ sectio... remediisque topicis, quibus tam in febri ...rtana, quam in hepatis & splenis duri... quæ huius morbi sunt symptomata) Me... vti consueuere. Durities autẽ hæc, licet ...ppter fœtum in Vtero contentum, (quod non

non agnoscebatur) tamen Scirrhus censebatur, aut alia colluuies, quæ ex putata Symptomatica Menstruorum suppressione esset orta. Tandem fœtu mortuo, mollioribusque ipsius partibus putrefactis, nec vllis ipsius partus signis conspicuis, ossa tractu temporis denudata fuere, & Vterum posteriora versus citra regionem recti intestini perforarunt, ita vt sensim per aluum, vna cũ excrementis ossa fuerint excreta, & inter cætera, os tibiæ integrum fuit reiectum. Cum ita diu cum morbo fuisset conflictata, interiit: cuius corpus 8. Idus Februar. Anni 1565. per Florentium Philippum & Michaelem Pichardum apertum fuit: à quibus nil nisi ossa putrida, & precipue capitis ossa fuere inuenta, idque magna cum admiratione, quomodo in hoc cœno Vteri putrefacti subsistere potuerint. Videtur sane, mulierem, quo ad hunc affectum, gastrotomia curari potuisse, si tempestiue malum cognitum fuisset, hocq; auxilium foret vsitatum, & cum iudicio adhibitum.

HISTORIA II.

CATHARINA des Fiefs, domina de Oncy prope Miliacum, cum secundas contraxisset nuptias, eodem tempore & in morbum incidit, & grauida reddita: non tamen

tamen se Vtero gestare suspicans: quare nō secus, quam in prædicta Aureliæ factum erat, ita & ipsa Lutetię infinitis remediis, & quidem Diæta sudorifica (auxilium aduersus morbum quęrens) vsa est: etsi non deessent Obstetricibus Reginæ aliquæ, quæ grauidam ipsam pronunciarent, eo quod symptomata ea, quæ vtero gerentibus accidere solent, in ipsa obseruarent, idque à tépore suppressorum menstruorum, donec etiam Lac in mammis obseruatur, & vsque ad nonum mensem: quo tempore omnia illa Symptomata desiere, vna cum motu ipsius fœtus: dein dolores partus irriti tum superuenere, & statim post, omnia signa fœtus emortui obseruare licuit, attamen horum omnium signorum ratio non habebatur. Quare cum Lutetia domum rediisset, adhuc fœtum mortuum Vtero gestauit, idque quindecim mensium spatio à die ipsius interitus supputatione factá, pręter anteactos nouem menses, quibus in vtero materno vixerat. Sic partes molliores putrefactæ per inferiora eiiciebantur, quæ (non absq; ratione aliqua) per Dominum Pontum Medicum Melcedonsem de Melun doctissimum, pro sanie ex Vteri vlcere promanente habebatur: quemadmodum ossa quæ remanserant Scirrhum Lienis esse cen-

 sebat.

SImilis & æque lugubris casus, mulieri cuiusdam Chirurgi Monspeliensis Ankæ vocati, accidit, qui celeberrimis Medicis amplissimi Collegii Monspeliensis (vti credibile est) pergratus erat: quæ (vti Dominus Rondeletius suæ Methodi curandi, cap. 65. meminit) cum Vtero gestaret, puerum putrefactum, illius aliquot partes frustulatim reiiciebat, solum maioribus ossibus in Vtero relictis, ita vt lõgo tempore post ipsi fuerit moriendum. Quamuis causę, cur huic moriendum fuerit, debuissent fuisse notissimæ, propter ipsius fœtus manifesta frusta, quę reiecta erant, & ipsius reliquũ, quod ibi tanquam in luto hærebat: recte tamẽ à marito factum, qui maioris certitudinis causa ipsius corpus aperiri voluerit. Verum vtilius multo fuisset, affectu iam satis cognito, vt per orificium Vteri fuissent ossa extracta, si modo fieri potuisset: aut si hoc non licuisset, certe sectione hac nostra Cæsarea liberanda fuisset, si (cum viribus valentibus) hoc remedium tum temporis fuisset vsurpatum, q in talib. casib. vsurpari debet, modo nil vel impediat, vel aliud nõ habeatur remedium

Caßus altera, continens historias quatuor de Abdomine, cauterio actuali aperto.

CAPVT III.

VERVM ne forte causa alicui sit dubitandi, Vterusne adeo affectus ad extractionem fœtus demortui (qui vlcerum horum causa erat coniuncta) felici cum successu & matris salute, secari potuisset, recitabo in hac secunda classe aliquot veras historias, quæ in æque periculosis casibus ex Abdomine inciso, felicem habuerunt successum, quas ex duorum clarissimorum Medicorum literis cognoui: quamuis illæ mulieres non forent grauidæ, sed summo Apostemate Vteri (quod longe peius erat) laborarint. Horum vero adhuc viuentium Medicorum celebritas, testimonii & auctoritatis loco esse potest, quorum alter est D. Albosius Senonensis Medicus, cuius nomen cum adeo sit celebre, in causa est, vt de eo plura non sim dicturus: alter vero est D. Villanouanus senior, Valdreaci in Prouincia habitans, primus, qui me, postquam studiis meis finem imposuissem, & Doctoris titulo ornatus fuissem, ad inuisendos ægros deduxit. Quorum epistolas ex ipsorum libris curationum extractas (vti omnes Medicos facere decet) & ab ipsis mihi communicatas, cum ex copiosiori, elegantiorique sermone Latino, quo scriptæ erant, breuibus in Gallicum transtulerim, hic inseram.

à Vualreas en Prouéce.

HISTO-

HISTORIA I.

Ioan. Albosivs, Rosseto S.

NOn minus admiratione dignus est, quã tua sit Cæsarea sectio, casus ille, qui iuxta ædes meas accidit: Mulier Vtero gerens, cum aut propter grandiorem ætatem, aut aliam ob causam parere aliter non potuisset, nisi frustatim partibus ipsius fœtus exclusis: vtraque latera ipsius infimi ventris valde tumida habuit, propter vim ferreis instrumẽtis illatam, præsentibus etiam omnibus signis, apostema ostendentibus, quod etiam cum ductibus naturæ commiinionem habebat. Quare cum ipsius infimi ventris pars affecta, cauterio, & quidẽ amplo facto vulnere, aperta fuisset, magna puris quantitas effluxit, sed non minor puris quantitas, quæ eiusdem & substantiæ, & coloris fuit, per Vterum profluxit. Verum pati noluit, vt, speculo matric indito, quãtus esset ipsius sinus, experiter: nihilominus tamen satis conspicuum erat, & apostema, & vulnus cauterio inflictum ad vterum vsque vergere, quod ex symptomatibus, quæ successiue accidebant, & etiam excrementis similibus, colligi potuit: dein etiam ex eo, quod pari pacto, eodemque tempore vtraque pars affecta fuerit percurata. Quare cum ita se res habeat,

vti vidi, mirum non eſt, quod in tua gaſtrotomia tradis, cum longe difficilius ſit, tale vlcus, quam ſimplex eiuſdem partis vulnus, curari. Vale.

Altera hiſtoria priori ſimilis, eiuſdem Alboſii.

CVM cuidam Nicolaæ, Simonis Piſtoris Senonenſis vxori infans mortuus, inſtrumentis ferreis violenter foret extractus, abſque lochiorum fluxu & ſecundinæ extractione: tum intra dies quinque ex vtraq; parte infimi Ventris, magnus tumor obortus cum Apoſtematis ſignis euidentiſſimis. Quare cauterio actuali, vni ex lateribus profundiſſime impreſſo, ex Apoſtemate aperto, Chirurgus copioſum ſanguinem grumoſum, putridum & fœtidum manu extraxit: ita tamen vt alterius lateris tumor non conſideret, nec etiam ſecundinam educere poſſet: quare & alterum latus ipſum aperire oportuit, vnde ſecundinam extraxit. Hoc tamen non ſine extremis doloribus, in tam ancipiti & deſperato caſu euenit: ſemianimis enim remanſit, triennio ſe lecto continuit: biennio vero poſt, fulcris innixa, obambulabat: poſtmodum ſcipioni ſolum innitebatur, & ſic tandem ſucceſſiue ſanitatem priſtinam adepta eſt, ita vt ab eo poſtmodum

modum tempore plures habuerit infantes, inter quos vnus Sebastianus nomine, qui adhuc & in viuis est, & in hac vrbe habitat. Vale.

HISTORIA III.

Duæ aliæ eiusdem argumenti historiæ à Villanouano communicatæ.

NICOLAVS Villanouanus, Rosseto salutem. Mirum in modum, &c. Sed vt ad rem veniam, fateor me tanto, ex quo vixi tempore, nunquam vidisse mulierem, quæ per latus enixa sit, & superstes remanserit, vt ad me scribis. Memoria quidem recolo, quod cum Dominæ de Pilis moniali, infimus Venter mirum in modum intumuisset, iussu meo Mauracium Valdreaci Chirurgum, Abdomen cauterio actuali ad Vteri fundum adacto, aperuisse: vnde tam per vulnus, quàm partes inferiores, vltra septem libras puris, quod semper simile fuit, emanauit: & vt de loco affecto certiores essemus, specillo partem inferiorem dilatauimus, ita vt facile magnitudinem ipsius vlceris Vterini conspexerimus, quod sex mensium spacio percurauimus: ab illo tempore filiam enixa, quæ adhuc superstes est. Anno 1532. hoc accidit. à Vualreas.

HISTORIA IV.

Altera Historia ab eodem.

de Montel-mar. SIMILE accidisse vxori Pharmacopæi Brisseti Montlimarii habitantis, & etiam curatam fuisse attestor: cui contra duorum Medicorum consilium, qui eam tractabant, consentiente tamen marito, simili cauterio vsque ad interiorem Vteri partem adacto, Hypogastrium aperiri curaui: vnde pus, vsque ad spondæ pedes exiliit, & eodem tempore admiranda saniei copia inferne profluxit. Hæc trimestri spatio curata, statim post cõcepit: nam exinde tres filios, vnamq; filiã enixa est: accidit ann. 1558. Gratias ago Deo, quod cum iam peregrinationis meæ octuaginta quinq; annos absoluerim: tamen, sua benignitate, adeo corpore sim sano, vt pter exercitia, quæ à me fieri vidisti, adhuc quotidie corpore bene disposito, tam eques extra, quam pedes intra vrbem incedam. Verum vt mihi omnia felicia precaris, sic vicissim vt tibi in pari & etiam maiori ætate eadem largiatur Dominus, exopto. Vale.

Classis tertia, sex historias de Vtero putrefacto, absque tamen internecione, continens.

CAPVT IV.

CVM

CVm in præcedentibus historiis, nulla adhuc peculiaris facta fuerit mentio Mulierum, quæ vtrumque sint perpessę: nimirum vt & grauidæ, & etiam incisæ fuerint: prædictæ enim, quæ Vtero gerebant, cum ipsarum fœtus iam mortui, viam aliam quam per Abdomen incisum sibi quæsiuerint, sectæ non fuere. Præterea eæ quæ sectæ, grauidæ non fuere, quamuis peius habuerint, nimirum Apostemate Vteri laborantes. Quare magis ad rem faciet, si alias historias in medium attulerimus, in quibus vtrumq; contigit: nimirum ipsas & grauidas fuisse, & Abdomen sectum fuisse, licet sectione Cæsarea, vti nominamus, non apertæ fuerint, vt fœtus extraheretur, sed vt pus ex Apostemate euacuaretur, licet vna cum Apostemate adfuerit, vel infans perfectus, vel collectio ossium fœtus iam pridem mortui Quo sane in casu, æque vt in aliis, plus fuit periculi, tum propter vlcus Vteri, tum propter alias causas, quam sit in sectione nostra Cæsarea, & tamen non modo nullæ mortuæ, sed quod maius est, pleræque ipsarum rursus concepere, & ad legitimum tempus vsque Vtero gestauere. Verum cum ex historiis subsequentibus tres habeantur in opusculo, Matthiæ Cornacis Medici Viennæ Austriæ habitantis, edito: vna item apud Albucasim,

ſuæ Chirurgiæ libr. 2. idcirco breuitati ſtudens, pleraſque infinitas circumſtantias, vt ſunt loci, anni, diei, perſonarum: teſtes item quos citant, prætéribo. Summa rei hæc eſt.

HISTORIA I.

HOSPITA ad inſigne Cancri rubei Viennæ Auſtriæ, cum parere non poſſet, per annos quatuor fœtum mortuum Vtero geſtauit, ita vt Vteri putridi fundo relicto (quod poſtmodum aperuit) ipſius corpus vlceratum Inteſtina verſus pertranſierit. Quare cum in Abdomine magnus tumor conſpiceretur, medium ipſius Epigaſtrii ad Abſceſſum euacuandum inciſum fuit, vnde infans extractus, nondum adeo putrefactus, (res ſane admiratione digna) quin maſculū fuiſſe cognitum fuerit. Quæ cum priſtinam ſanitatem foret adepta, rurſus concepit, & ad præfinitum à natura tempus, Vterum geſtauit: ſed cum abdomen non fuiſſet inciſum (licet recte Cornax conſuleret) ipſi moriendum fuit, fœtu non excluſo. Verum poſt mortem matris, elegantiſſimum infantem extraxere, viuacem valde, ſi modo ipſi vna cum matre ſectione Cæſarea ſubuentum foret.

HISTO-

HISTORIA II.

Eodem in opuſculo, epiſt. ab Achille Gaſſaro Medico Auguſtano ad Cornacem ſcripta, habetur, quæ ſimilem hiſtoriã iiſdem cum circumſtantiis continet. Mulieris cuiuſdam cui fere anno vno, poſtquam pariendi tempus eſſet elapſum, fœtus (vti & prædictę) è capacitate Vteri exulcerati ad inteſtina erat prolapſus, vti manifeſte conſpiciebatur ex Apoſtemate in abdomine, potiſſimum latere ſiniſtro, oborto. Quare à Chirurgo ſucceſſiuè os vnum poſt alterum fuit extractum, quę cum percurata foret, poſtmodum conuenienti modo liberos & geſtauit, & enixa eſt.

HISTORIA III.

Sed & altera etiam epiſtola, in eodem Cornacis libro habetur, ab Aegidio de Hertogæio celebri Medico Bruxellenſi ad ipſum ſcripta, in qua mentio fit hiſtoriæ cuiuſdam mulieris, quæ cum parere non potuiſſet, carne & partibus mollioribus fœtus iam putrefactis, & per vterum reiectis, ſub Epigaſtrio tamen oſſium coliiſio ſentiebatur, (quod manu facile erat deprehendere (ita tamen vt parum actiones mulieris læderet, cum iam ab annis tredecim vtero geſtaſſet, quod

ſane

ſane abſque vteri perforatione fieri non poterat: hæc tamen curata fuit, vti fieri oportebat, cum nihil puris amplius ex vtero ꝑmanaret (vti factum foret) & etiam ordinate menſtrua fluerent.

Probatio Hiſtoriæ iam citatæ.

CAPVT V.

ADEO mirandum accidere poſſe, vt probemus, (quamuis ſenſus ipſi fidem faciant, etiam ei qui ex ſocietate aut ex affinitate S. Thomæ ſit) non præter rationem citari poteſt, adeo diuturna mora puris, non ſolũ in Renibus, Veſica, Meſenterio, Longano, prẹter tamen vitæ periculum, ſed etiam in Splene, & Hepate, quæ viſcera in quibuſdam reperta à longo tempore ſuppurata: in aliis vero tam hominibus, quam brutis cicatrice obducta & curata. Fertur in quibuſdam Splenis parenchyma, adeo abſumptum repertum eſſe, vt ſola cutis remanſerit, quod ſæpius in renibus à calculo vlceratis obſeruaui, qui ſoli hinc inde verſantes, tanquam nummi in crumena remanſerant. Duorum D. Viardus Chirurgus inſignis meminit, in quibus, plurimis præſentibus, cum in latere ſiniſtro vulnerati fuiſſent, repererit Splenes ſauciatos, & eos partim alteratos, partim vero exſiccatos, quos ſectione ſe extirpaſſe refert.

refert. Simile etiam ex D. Paruo perdocto Medico Genabi habitante cognoui, feliciter à Chirurgo eius loci idem in viro saucio, quem tractabat, factum, & tamen innumerabilis arteriarum plexus, quam necessaria sit ipsi indiuiduo actio ipsius, satis ostendit. De Splenis vsu alibi disputabimus, sumpta occasione ex docta ipsius Vlmi disputatione, quam tam contra veteres, quam neotericos habuit: quod nimirum infinitus fere tã venarum quam arteriarum numerus non impediat, quominus, absque tamen mortis necessitate, magna ipsius omenti pars per vulnus exeuntis secetur, quod etiam quotidie feliciter exercetur. Pulmones similiter qui vicini, & Cordis flabellum sunt, sæpius pure multis annis referti sunt: præcipue vero si vnus pulmonis lobus sanus sit, & sputum facile procedat. Sed quod maius est, à Cornace in Bibliopolæ cuiusdam Viennensis corde, (quod adhuc contingere potest) post mortem magnum apostemá, mediam fere cordis capacitatem ambiens, in plurimorum præsentia repertum fuit (qui tamen diu prius leui solum syncopi obnoxius fuerat) quod certe non potuit, cum adeo fuerit magnum, momento accidisse. Idem etiam Nicolaus Massa, celeberrimus sui temporis Medicus, in sua Anatome testatur, se in Ve-

à Gia[illegible]

neto

neto (qui ex vulnere capitis interierat) in auricula & substātia cordis, dimidii oui magnitudine abscessum inuenisse, qui in fibrosa hac ac solida parte, non potuit nisi longo temporis spatio nasci: quod, modo vulnus vlcusue ad ipsos ventriculos non penetret, contingere potest. Tales etiam reperiuntur, qui vltra dies octodecim vixere, corde tamen ad profunditatem duorum transuersorum digitorum, sed solum in ipsius carne, læso. Idem in Cerebro accidit, in ipsius inquam substantia, non autem in ventriculis, quemadmodum fieri hoc posse, historiis, testimoniis, fide dignorum comprobatis, alibi ostendemus, tædiosam prolixitatem in hac Epitome vitantes.

HISTORIA IV. *eiusdem subiecti.*

SI delicatioribus quibusdam Lectoribus, quibus antiquitas solum placet, neoterici hi citati auctores non satisfaciant, nec alias ipsis quidquam, nisi summa cum difficultate persuaderi potest: satisfaciet tamen, vt spero, docti & iam pridem percelebris Medici & Chirurgi Arabis Albucasis auctoritas, qui libr. 2. suę Chirurgiæ, in hunc modum scribit. Mulierem vidi, in cuius vtero infans cum esset mortuus, rursus tamen

tamen grauida reddita, qui etiam fœtus in ea mortuus. Longo tempore post, tumor in ipso vmbilico obortus, quo aperto materia effluxit: ad quam vocatus fui, & longo tempore tractaui, nec tamen consolidari potuit; quare fortissima attrahendi vi pollentia medicamenta applicaui, sicque plurima ossa successiue prodiere: quo viso, perterritus fui, cum in Abdomine nulla esse ossa scirem. Quare omnibus perpensis, & indagatis, esse ossa fœtus emortui cognoui: ita vt cum plura iam extraxissem, eam pristinæ sanitati restituerim, eo solum excepto, quod semper aliquid per vlcus exsudarit. Hactenus Albucasis. Quod si adhuc aliqui adeo difficiles sint, quibus ne hac quidem ratione satisfiat, vt qui omnia quæ ab Arabibus sunt profecta, tanquam barbara detestentur, eos ad Alexandrum Benedictum, qui similem historiam in sua praxi, tract. de Difficul. partus habet, relego.

HISTORIA V.

VERVM ne hæc testimonia & historiæ peregrinæ, quæ à nobis sunt allatæ, aliquibus sint suspectæ, non secus quam narrationes eius, qui varias regiones pluстrauit, cui etsi quis nolit, aut fidē adhibere oportet,

aut

duci iuuencam ægrotam, pallidam, prostratis viribus, tumentem, tantisque doloribus diuexatam, ita vt nec quis morbus esset, nosceretur, nec spes vlla salutis superesset. Quare Princeps misericordia mota, eam Obstetricibus inspiciendam tradidit, quæ rem vti se habebat, patefecere: ægrotam nimirum, quæ virgo censebatur, fœtum adultum, & a longo tempore mortuum & putridum vtero gestare, ita vt ossa vtero perforato, ad latus vmbilici conspicerentur: ex quo loco ipsa Princeps ossa aliquot extrahi, & copiosissimum pus fœtidissimum emanare vidit: quo tamen affectu, breui temporis spatio percurata fuit; quam etiam diu prædicta Domina valentem vidit, sed quid tandem ei acciderit, ignorat; nec etiam an postmodum nupserit, aut denuo grauida facta, aut secus. Cum enim paulo post Illustrissimo Principi felicis memoriæ nupsisset, sedem mutauit, nec quid postmodum ipsi acciderit, perquisiuit.

Classis quarta, Historias sex de Vtero absque vitæ periculo ablato continens.

CAPVT V.

dauetis parte, fœmineum sexum referente, attamen breui temporis spatio conualuit. Hæc post mortem Doreti mariti rursus alteri nupsit, & circiter annos adhuc viginti septem, corpore sano superuixit, quę modo nuper anno Christi 1577. diarrhœa periit. Verum ipsa vt nec prius, ita nec postmodũ vtero gestauit. Cuius rei testes plures fide digni eo loci habentur, & pręsertim Gratiana Theobalda, prædicti Galmeti Chirurgi vxor, fidem facere potest. Verum si quis sit, qui Chirurgi sibi incogniti testimoniũ contemnat, (licet eo loci celebris fuerit) acquiescendum tamen ipsi erit, ei, quod succinctè suo more, doctissimus Hollerius præceptor meus, sub finem 1. lib. de Morbis internis scriptum reliquit. Refert Mulierem quandam Lutetiæ cum vtero gestaret, fœtũ diebus quindecim antequàm in lucem ederetur, brachium per vmbilicum matris extensum habuisse, & tamen nihilominus ipsam vną cum fœtu superstitem remansisse. Quomodo autem enixa sit, aut per quam viam, & an postmodum rursus vtero gestarit, speciatim non exponit, quod tamen & inuestigatione, & consignatione dignum erat: id quod facile ab ipso fieri poterat, cum præ foribus exemplum haberet: magna huius rei vtilitate, tam quoad theoriam, quam

H praxin

ne oui Struthionis: quod sane solum Vteri collum esse non potest, absque quo Vteri corpus totum non sit prolapsum. Præterea oculis obseruari potest, ipsius interiorẽ partem exterius inuersam, & superiorem, quæ interna etiam erat, prolapsam, exteriorem partem constituere. Verum tria sunt, quæ præter auctoritatem Auicennæ, quæ habetur lib.3. Fen.21. tract. 4. cap.5. hoc attestantur. Primo quidem ipsius sanguinis mẽstrui sensibilis effluxus, leuisque transudatio, ex tota ipsius vteri superficie promanans, qui dum fluere debent menstrua, amplius non procidit, quod sane certum argumentum est, ex ipsius vteri corpore & capacitate promanare, & non solum ex vteri collo, vti multi contra Galeni sententiam somniarunt. Verum præter propositum non est, sed notatu dignissimum, quod si solum ipsius collum procidat, corpus vero ipsum nondum sit prolapsum, tum conspici in ipsius fundo (qui tum parum maior, quam forte sit ouũ gallinæ) foramen, quod os ipsius vteri est, ad ipsum collum attractum, & ab ipsius Vteri corpore depressum, per quod foramen in mulieribus iuuencis hoc malo diuexatis, sanguinem menstruum promanare obseruatum fuit: & tamen facile prolapsus talis in pristinum situm reduci potest, Sed si per fo-

tamen hoc pluribus de cauſis relaxatum ipſum corpus tanta mole procidat; quod quotidie accidere ſolet, tunc foramẽ id amplius non conſpicitur, ſed totum aſſimilari poteſt magno vini cantharo, qui in ſuperiore parte oualem figuram habet, ſed inferne minorem: inferne vero alia eſt rotunditas, ſuperiore longe maior, abſque tamen foramine: in medio autem manifeſta conſpicitur coarctatio, binas has partes aliquo pacto ſeparans, quod nihil aliud eſt, quam os Vteri dilatatum. Et tunc obſeruatum fuit, ex tota illa parte inferiore, in iuuencis (tanquã per reſudationem) ſanguinem menſtruum debito tempore profluxiſſe. Hic eſt intermedius anguſtior locus, cui ligatura iniici debet, quando animus eſt Vterum prolapſum, & gangræna affectum auferre: rarius enim ſuperior pars putredine tentatur. Hac ratione minor illa & ſuperior rotunditas rurſus reponi poterit, ſi inferiore parte ablata illa huius pondere amplius non prematur, vti ante prolapſum fiebat; nec etiam deorſum poſt omnimodam procidentiam trahatur. Si vero ſupra manifeſtam illam coarctationem, (vti aliquando factum) ligatura fiat, id cum dolore ſummo, & etiam cum periculo coniunctum erit. Dein exiguus, aut nullus dolor, quem maſſa illa carnea prolapſa

(Vteri

(Vteri fundum puta) tum persentit, etiamsi duriter tractetur, dum reducere est animus, prędicta attestatur. Est enim, vt verum dicamus, os ipsius Vteri vna cum ligamentis à quibus dependet, quæ exquisito sensu prædita sunt, non autem ipsius Vteri corpus, de quo hic agimus, & quod in partu Cæsareo incidimus, quemadmodum alibi probamus. Tum remedia quæ vsurpantur, & inter cætera insertio pessarii in fundum vsque Vteri ex subere cera obducto, aut alia materia parati, de quo, ne à proposito recędamus, in sequentibus agemus, id etiam comprobant. Verum, vt ad rē accedamus, antequam aliorum auctoritates proponam, breuiter binas historias à me obseruatas, referam.

HISTORIA I.

Cum Lunelli Vastineti, cuidam mulieri è corpore vterus auferretur, præsens adstiti, qui consilio defunctorum D. D. Saportæ, hospitis & mecœnatis mei, & Rondeletii, prælidis mei, à cadauerum dissectore publico Bartholomæo nomine, qui postmodum phthisicus interiit, exsectus fuit, idque posteaquam Monspessuli omnia remedia, sed irrito conatu attentata essent. à Lunel en Gastinois.

HISTORIA II.

AB eo tempore, consilio meo nobili matronæ Vastineti, (cuius nomen subticere placet) Ambrosius Niger & Compagnetus à turre Chirurgi Pithuuerenses, vterum exsecuere, quod malum alias incurabile erat: iam enim gangrænam minabatur, & parum adhuc cuti adhærebat, cuius pars inferior propendens, magnitudinis duorum pugnorum, iam plane liuida erat.

en Gastinois

d'Piruthiers

HISTORIA III.

DOMINI Villanouani (cuius supra facta fuit mentio) etiam consilio, antequam ipsi familiaris essem, Petrus Mauracius Valreensis, Petri Costi textoris vxori vterum excidit: cui, statim post absolutum difficillimi partus puerperium, exciderat, nec reponi potuit ob summam in partu læsionem. Quem cum ligasset, abscidit, & cauterium adhibuit, idque inscio marito, qui tum absens erat, cum quo postmodum nihilominus concubuit, absque tamen voluptate: quod denuo epistola ad me data Anno 1535. attestata est.

de Vualreas

HISTORIA IV.

CHRISTOPHORVS à Vega Hispanus, tractatu de Procidentia vteri, refert, se decen-

decennio antequam hæc scriberet, cuidam mulieri curasse vterum excindi, quæ tum adhuc superstes erat.

HISTORIA V. TRES *continens historias de Vteri ablatione.*

Carpvs in sua Anatome hac de re verba faciens, narrat vidisse se à Patre suo vterum auferri: dein se quoque cuidam vterum excidisse, & postmodum etiam per suum nepotem plurimis Medicis astantibus vterum eximi curasse. Quo loci obseruationes admiratione dignas adducit, de quibus in paruo tractatu, de hac materia composito, problematice egimus.

HISTORIA VI.

Non solum sectione & vstione omnimoda vteri procidentia, postquam amplius reponi non potest, curatur: sed etiam ligaturis, cuius rei hoc anno praxin vidimus, quod sequens ostendit historia.

Philiberta Louyson Ioannis Baugini vinitoris vxor, Neouis inter Pithuirum & Puteolos habitantis, cum mensium octodecim spatio, sanguinei vteri fluxu, eoque copioso laborasset, adiuncto versus collum vteri pondere: subito suis in ædibus persensit (res sa- *à la Neufuil le entre Pithuiers & Puyseaux.*

ne mira. Vterum vsque ad interiorem femorum partem prolabi, tanta magnitudine, vt cum eum reponere non posset, triduo aut quatrido post, Bonauenturæ Turræi & Blasii Betthei Chirurgorum Pithuirensium, (quibus cum hac de re sæpius contuli) opem implorarit: qui cum soli sectionem adhibere non auderent, ligatura (meum aduentum exspectantes) contenti fuere, quod anno 1580. 6. Kal. Martii factum. Ligaturam valde strictam, cum eum reponere non licuisset, adhibuere, eamque non circa partem angustiorem, quæ est inter ceruicem & fundum vteri prolapsi, de quo præcedenti capite, quo loci omnium tutissime sectio fieri potest: sed ligatura facta in ceruice vteri, quę valde eminebat, ita vt ligatura, vretræ aut ceruici vesicæ proxima foret. Priorem hanc ligaturam per dies octo non mutauere, sed his finitis cum eo vna cum ipsis venissem, vt Vterum secaremus, vreremus, & auferremus, videns ligaturam in altiori, quam par esset, loco, ita vt tuta sectio fieri non posset, vstio vero nulla, ratione etiam habita virium prostratarum ipsius ægræ, consului vt noua & arctior, quam prior fuisset, eodem in loco fieret ligatura: illa enim cum magnam partem ceruicis Vteri secuisset, laxior erat reddita. Quo facto, non absq;
dolore,

dolore, altera hæc & fortior ligatura, magis, adhuc partem incidit, & hæc sectio fuit in anteriori parte, eo loci vbi nodus ipsius ligaturæ erat, vsque ad medium canalem, per quem Vterus inuersus prolapsus erat. Vnde magna copia puris effluxit: ex fundo nimirum Vteri, qui iam niger & gangrænosus, ad femora propendebat, promanans. Postmodum cum alternis diebus, noua & indies arctior ligatura fieret, vti inter nos conclusum erat, tandem post decimam ligaturam 13. Kal. Aprilis Vterus sponte excidit: ipsa vero iam conualuit, munia domestica rectius, quam ante hac obiens.

Classis quinta, binas continens historias de Vtero, absq; tamen morte sponte elapso.

Capvt VI.

Historiæ iam adductę de excisione prolapsi & putrefacti Vteri in mulieribus, quæ superstites mansere, absurdæ videri non debent: siquidem Vterus, cum rursus in corpus retrudi non potest, sponte & à corpore se separet, & etiam excidat, (nisi arte Chirurgica succurratur) absque tamen vitæ periculo, imo etiam absq; morbo, vt ex sequentibus historiis colligere erit.

HIST○-

obseruatum, in Episcopi Nannetensis œco- de Nantes
nomo (tum temporis etiam Aureliæ lite-
ris operam dante) qui ex rabie amoris in
profundas latrinas præcipitem se dederat:
quo loci omnia ea, quæ amoris morbum
causabant, exsciderat, maxima cum hæ-
morrhagia, vt facile est colligere, cum ea
perseuerarit, donec exinde extractus fuit,
& tamen mortuus non est. Idem etiam
adultioribus, in adulterio deprehensis ac-
cidit, licet remedia non fuerint subito ad-
hibita, quod tamen in sectione Cæsarea
fieri potest. Verum quilibet in Anatome
bene versatus, abunde satis nouit, quid
periculi subsit in exsectione earum par-
tium in talibus Eunuchis, qui æque ant
magis periculo mortis subiecti, dum se-
ctio hæc administratur, quam eæ, in qui-
bus sectio Cæsarea adhibetur, in quibus
vterus solum sectione separatur, absque
ipsius substantiæ ablatione; licet in illis
Epigastrium non lædatur: quod tamen
in his, quibus Cæsarea sectio adhibetur,
fieri solet.

Præcedentium Historiarum Epilogus.

Capvt VII.

Cvm

plius in naturalem locum reponi non posset, tandē gangræna affectus, putruit: & spōte an. 1574. dum vrinam esset redditura, excidit, nec tamen propterea lecto se cōtinuit, cuius rei fide digni testes sunt D. Contugonius Medicus, & Ioannes Bellouacus Chirurgus Montregiensis. Vtero elapso, toto adhuc triennio optime valens, superuixit, nisi quod (vt ipsa narrabat) ab illo tempore coacta fuerit diligentius quam prius, partes inferiores à frigore externo custodire, aut certe doloribus colicis diuexari. Tandem (me absente) cum febri continua interiisset, & iam sepulta esset, post reditum vnice me rogante factum, vt Magistratus permissu rursus exhumata fuerit, & per Fellœum Chirurgum anno 1577. 10. Kal. Decemb. in præsentia D. Contugonii Medici, Obstetricis, & aliorū aperta fuerit. Nec aliud inter vesicam & intestinum rectum eo loci, vbi Vterus à natura positus fuerat, quam locus vacuus obseruatus, per quod foramen facile, & absque obstaculo magnæ nouaculæ manubrium indi & eximi poterat: & per hoc reuera frigus externum ingrediebatur, & dolorem colicum causabat, reliquis vicinis partibus cicatrice obductis: nam ab elapso & ablato Vtero, neq; sanies, neq; purulenta aliqua materia emanauerat.

me conqueri debere, de Chirurgia, quæ ipsius est ministra, & de magnis ipsius artis Magistris, quorum fidei est concredita: siquidem ipsis ad oculum, & quidem digito huius rei tot exempla ostendat, quo humano generi succurrant (quod ipsorum esse professionis fatentur) & eo quasi ipsos adigat, vt id tuto, & felici cum successu faciant: attamen aut nolunt, aut non audent id aggredi, sed potius impediunt, aut prohibent, quantum in ipsis est, ne hæc sectio in vsum ab iis reuocetur, quibus tamen experientia, artium magistra, hanc industriam & solertiam obseruatione manifestissimorum effectuum communicauit.

SECTIO V.

Prædictorum magis plebeiæ & vulgares probationes.

Capvt I.

Verum si quis, aut contradicendi studio ductus, aut veritatis osor, adeo animo sit obstinato, vt prædictis fidem vllam adhibere, neq; etiam autopsia, (pigritia ductus) vti, neque etiam argumentis & rationibus allegatis acquiescere velit. Opponam illi eos, qui bruta

castrare solent, qui mihi erunt loco Aduocatorum sub vlmo (vt est in prouerbio) ipsis vero loco Magistrorum, (vt dici assolet) de villagio, quæ sufficient, vt se ita victos fateri cogantur, vt quod respondeant, non habeant. Ii, quando & equos, & scrofas, & canes castrare solent, ipsis dũ adhuc iuuenes sunt, alii quidem eximunt vasa spermatica: alii vero testiculos fœmineos: alii denique qui in arte sunt graduati, Vterum penitus extirpant. Sed si huiusmodi bruta sint adultiora, malunt ea dum grauida sunt castrare: tum quia facilius Vterum inueniunt, tum etiam quia de vera castratione postmodum non dubitant: quibus tamen aliqui, vt qui in arte minus sunt exercitati, si vasa spermatica exemerint, contenti esse solent, sibi, quod fieri consueuit, tertio die ipsos fœtus reiecturos, certo pollicentes. Alii vero catellos extrahunt, vt vidi, & cani deuorandos obiiciunt, quod absque Vteri sectione fieri non potest. Verum qui in hac arte sunt versatissimi, maiorem Vteri partem excindunt, vel totum eximunt: alias enim vsu venire aliquando solet, vt ęque depereant & quasi œstro in se masculos incitent, quod sane in equis malum est. Hac sectione facta, aliquot solum punctis vulnus consuunt, & locum pinguedine porcina, oleo nucum, ci-

neribus

neribus foci, & aliquando pauca fuligine propter muscas, aut vermes inungunt. Quidam Gassetus nomine, in arte castrandi versatissimus, me iubente, duobus magnis canibus, mox catellos exclusuris, tam fœtus quam vterum extraxit. Inter quos alter, cum dentibus suturam ademisset, & intestina forent prolapsa, aliquot diebus post periit: alter vero, cui hoc non accidit, nunquam à cibo abstinuit, licet quinque catelli vna cum Vtero essent extracti, quem circa inferiorē partem ligauit, quod fieri oportet, cum Vterum oblongum habeant, & tam in plures, variasque partes diuisum, quibus cuiuslibet catelli particularis secundina adhæret.

Vidi etiam senem Opilionem, qui circa Autumni finem nil aliud facere solebat, quam hoc pacto adultas oues quomodocunque prægnantes castrare: partim quod secus difficulter hyemem superuixissent, partim etiam quo melius, citius, & minori sumptu ipsas impinguaret, carnes teneriores, sapidiores, & palato gratiores redderet, quam sit caro veruecis: ita tamen vt ex castratis nulla sit mortua, vel quod à cibo abstinuerit. Et hoc à quolibet videri, & etiam absque periculo, paruisque sumptibus à quouis etiā Chirurgo experiri potest:

donec in mulieribus grauidis, quæ ad mortem sunt condemnatę, id experiundi detur occasio: à Magistratu, si fieri possit, gratiam & vitam impetrantes, si ipsas euadere contingat, quod (omni dubio remoto) fiet, si pariendi tempore appropinquante dextre secentur, & dein diligẽs ipsarum habeatur ratio. Tum enim & non citius secundina naturaliter à Matrice separatur, sine cuius separatione, opus longe difficilius & periculosius foret: adde quod tum temporis facilius, quam ante os Vteri aperitur, quo sanguis, sanies & pus, quæ intus forte continerentur, effluere possint.

Altera etiam vulgaris probatio.

CAPVT II.

AD hanc rem comprobandam, plebeio & vulgari adhuc exemplo vtar: proposito nimirum eo, quod mulierculæ rusticæ simili modo facere assolent, non solum dum castrant pullos gallinaceos, aut magnos gallos, quibus euidenter testiculos eximunt: sed etiam gallinis, dum ipsis vterum, aut id quod natura ipsis vteri loco dedit, auferunt, cui adhæret, quo fouetur, quo conseruatur, & nutritur ouum, ex semine galli, si sit fœcundus, & gallinæ simul iuncto natum: aut

ex sola gallina, si sit sterilis, & inutilis ad incubationem, quæ oua subuentanea dicuntur. Vulnus tamen hoc adeo magnum est, vt alte satis digitus indi possit, magnum valde proportione habita cum mulieris incisæ vulnere. Quod si indignum videatur, (quemadmodum & prædicta allegatio brutorum ex villis petita) vt ex stabulis animalium & gallinarum huiusmodi exempla in Medicorum Scholas sacratissimas introducantur: licet ipse Cato, Varro, Palladius, aliiq; docti, relatu non indignum censuerint: attamen Chirurgis proderit, vt iis, quibus sectionem Cæsaream administraturi sunt, animum addant, quo in tali casu bene sperent, dum ipsis ostendi & exponi potest id, quod tali sectione in minoribus animantibus faciunt: quibus tamen nihil sinistri accidit. Quare finem hic imponam conclusioni affirmatiuæ propositionis in dubium reuocatæ, mihi persuadens abunde satisfactum esse, quod eram pollicitus: nimirum quod ad possibilitatem, veritatem, securitatem, facilitatem, vtilitatem, & frequentissimam necessitatem partus Cæsarei spectat, si modo bene & cum iudicio, debito tēpore & loco administretur.

De quibusdam Symptomatibus, quæ dici possunt periculose, huic sectioni accidere posse.

CAPVT III.

DVo potissimum sunt Symptomata, quę hic metuenda esse, obiici posset: Syncope & Conuulsio, seu Spasmus. Syncopę quidem, propter insignem sanguinis effluxum, in quo robur & virtus hominis consistit: si enim sanguis nimius profundatur, summa virium prostratio succedit. Verum cum superius demonstratum sit, in hac sectione boni & laudabilis, vtilisque humoris, non magnam fieri iacturam, sequitur hoc loco Syncopes aut lipothymias (quæ vulgari nomine animi deliquia dicuntur) periculose non esse metuendas.

Remanet ergo Spasmi aut Conuulsionis metus, qui partium neruosarum ad sua principia est retractio. Symptoma sane periculosum & sępe lethale; verum hic, aut nulla, aut parua conuulsio est metuenda. Eius vero causę, vt superius in sectione Peritonæi dictum, sunt vel internæ, vel externæ. Interiores in genere duæ sunt, inanitio & repletio. Inanitio quidem, quoad vterum incisum, maior non fit, quam esse debeat, quamue fiat in partu naturali: sanguinis

guinis enim profusio, quæ sola fere id causare posset, adeo magna (vti prædictum) nō est. Altera vero causa, repletio puta, adhuc minus adest, cum sectione hac, si adesset, per hæmorrhagiam sit ablata, quæ plethoræ est curatio, & præsertim si huius sanguinis inutilis euacuationem perpendamus. Inter causas exteriores referri potest frigus externū, partes interiores mulieris incisæ petens, aut sectione oblæsas partes exteriores lædens: verum diligentia industrii & prudentis Chirurgi huic rei facile occurri poterit. Superest ergo dolor, qui medio modo se habere, & his binis causis participare videtur, qui ad harum causarum aliquam referri potest.

Dolorem, qui ex incisione Vteri contingit, Spasmum causare non posse: & quod Vterus eo loci, vbi sectio fit, parum sensibilis sit.

Capvt IV.

Contra assertam sententiam nostrā, obiicitur tristis effectus doloris: multis enim videtur dolorem necessario summum esse debere, in parte adeo neruosa putata, & per consequens sensibili. Verum ad id, vt prius responsum fuit, ita etiamnum respondetur, non dari neruos in Vtero,

qui notam mereantur, aut summo sensu sint prædii in profundo & interiore capacitate Vteri, quo loci sectio fit. At si aliqui nerui dentur, ii valde sunt confusi, instar membranæ semicarnosæ, quæ diuersis insensibilibus fibris intertexitur, multaq; adsunt vasa, quæ humoribus summe repleta sunt, qui omnium maxime sensus acuitatem, qui adesse posset, obtundunt. Et videtur neruus is, qui ad Vterum descendit, peculiariter Vtero inseruire, propter fœtum potius quam propter matrem, quo fœtui spiritum animalem deferat, non secus quam venæ naturalem, & arteriæ vitalem deferunt; si modo spiritus hic animalis canali aut meatu, quemadmodum non sine ratione dubitari potest, opus habeat: etsi sint quibus videatur posse absque tali auxilio eo peruenire, idque irradiatione quadam per alias partes. Verum Philosophicum hoc est, nec huius instituti. Mulier igitur cum pro se hoc sensu & motu non indigeat, quem neruus ad Vterum defert, id totum, tanquam beneficio naturæ, Vtero relinquit, vt eo vtatur, tā pro se ipso, quam vt & fœtui, si quando opus sit, communicet. Hinc forte fit, vt Vterus suos motus habet, & proportione habita, proprium etiam sensum, eumque præter mulieris voluntatem; ita vt Vterus alterum dicatur animal.

mal, Ea ratione vero fit, vt seipsum extendat, contrahat plus minusue, prout opus est: ita tamen vt mulieri molestiam non inferat, si modo naturaliter fiat. Sed si ex causa aliqua præternaturali fiat, tunc noxa in aliis partibus corporis magis, quam in ipsomet Vtero psentitur, ratione doloris, siue corpus, siue animus afficiatur. Sæpius enim etiam modestissimas mulieres impatientes reddit, ipsarum mores, mentes turbat, rationemq; lædit, siue sit ratiocinando, siue se mouendo, alioue modo. Talis sensus obscuritas, cũ non ob aliam, quam propter hanc causam ea in parte sit, tum etiam vt ea, quæ molestiam pariunt, discernat: idcirco singulari naturæ prouidentia eo loci obtunditur: quod etiam aliarum partium substantiæ propriæ & internæ, quæ tamen Vtero magis principes sunt, contingit: vt Spleni, Renibus, Hepati, Cerebro, Spinali medullæ, imo etiam Cordi, vt ex supra citatis, ex Cornace & Massa patet: vt prætercam id, quod Pulmonibus, Venis, Arteriis & Ossibus etiam accidere solet. Sed dicet quis, manifestos tamen dolores persentiri, vti fit in Inflammationibus, Erysipelatibus, &c. Ad hoc respondeo, esse ipsius Vteri os, & eius appendices, ligamentaue, quæ dolori, aut voluptati facile subiecta sunt, quæ sane in sectione nostra nõ

læduntur. Huic rei fidem facit, (vt dictum fuit) exiguus aut nullus dolor, quem persentiunt, non modo mulieres Cæsareæ, dum in parte altiori inciduntur, sed etiam mulieres eæ, quæ ruptura, causata à prolapsu Vteri, laborant, parum doloris persentiunt: imo sæpius nullum perferunt, quando partes prolapsæ, & quidem duriter, tractantur: dum videlicet Vterum reponere studemus, quo loci sane sectio fit Cæsarea, de qua quæstio est.

HISTORIA

SENTENTIAM meam magis confirmat historia cuiusdam Mulieris, quam ante aliquod tempus vna cum aliis Medicis & vidi, & ægrotam tractaui, quæ post mortem in præsentia testium fide dignorum aperta fuit: in cuius Vteri carnosa substantia, (non in cauitate, neque superficie gibbositateue externa) collectionem adeo admirabilem, tam humorum, quàm carnosarum excrescētiarum, membranarum, tendonum, ossiculorum item instar gummatum, lupias aliaque corpora diuersę substantiæ, coloris, odoris, aliarumque qualitatum habebat, vt pondus omnium esset librarum mercatoriarum quadraginta. Et tamen ab annis tribus, & longiore etiam tempore, quo temporis

poris spatio materia eo loci erat contenta, nullum dolorem, qui alicuius esset momenti, persenserat, licet tantæ sordes, tantaque moles in Vtero continerentur: tamen toto illo tempore, tam naturales & vitales, quam animales functiones perfectas & integras habuit.

Verum posito & concesso eo, quod propter huius partis membranosæ læsionem Spasmus fieri deberet, (qui raro, nisi à punctura causatur, & tamẽ sectione partis punctione læsæ curatur) attamen cum partem secamus id impediri, imo ipsum Spasmum curare deberet. Præterea etiam licet alterutrum Symptoma, Cõuulsio scilicet aut Syncope, propter sectionem hanc accideret, aut propter aliam quampiam causam, (quæ etiam in partu naturali sæpius contingere solent, vbi tamen sectio nulla fit) attamen occurri posset iisdem remediis, quibus auxilio esse solemus iis, quæ naturaliter enituntur: vtpote in Syncope, diuersis corroborantibus: in Conuulsionibus vero fotubus conuenientibus. Quorum remediorũ materia, forma, & administratio alibi proponi debet.

SECTIO VI.

Fœcunditatem post sectionem Cæsaream remanere, probatur.

Capvt

CAPVT I.

ETSI multę ex propositis historiis mulierum, quarum Vterus diuersimode læsus erat, tam sectione Cęsarea, quam longe grauiori modo, satis testatum faciant (cum postmodum Vtero gestarint) fœcunditatem post huiusmodi operationes Chirurgicas integre reseruari. Video tamen nihilominus fore aliquos, qui eo non sint futuri contenti, qui id fieri non posse duabus rationibus nõ leuibus probaturi sunt. Vna est, Vteri intẽperies, quam ex prædicto largo sanguinis profluuio prouenire præsupponent. Verum huic rationi iam responsum, dum ostendimus, quod licet hæmorrhagia foret magna, quæ tamen non est, eiusmodi tamen sanguinem inutilem esse, & per consequens ipsius prę sentiam naturæ optime dispositæ molestam, vti vice versa ipsius profusio valde vtilis est. Quoad alteram rationem, solutionẽ continui, iam ostensum eam paruam esse, post Vteri contractionem, dum infans inde extractus est.

Cicatricem, quæ post vulnus vteri incisi coalitum remanet, fœcunditatem non impedire.

CAPVT

Capvt II.

Verum contra solutionem datam obiici potest: quod si pars incisa adeo, vti diximus, se coarctauerit, tum & cicatricem paruam habebit, & eam valde crassam, duram, & difficulter cedentem, ob multiplices fibras, quæ obscure hinc inde intertexuntur: quæ omnes huiusmodi cicatrice firmiter colligantur. Quare vterus, inquiunt illi, eo loci satis dilatari non poterit, ad commode fœtum in latum collocandum, & æqualiter continendum: & sic cicatrix hæc, vt ipsis videtur, aut conceptionem, aut gestationem, aut fœtus auctionem, aut robur Vteri, quo minus valeat in partu fœtum expellere, qui tum ex omnibus partibus equaliter dilatari debet, impedire poterit. Sed etiã quod peius est, poterit cicatrix hæc (inquiunt) in perpetuum causare malum illud, quod Hippocrates 2. de Mor. mul. Contortionem matricalem vocat, quæ necessario sterilitatem causat. Verum quo ad primum, responderi potest, si consolidatio ex prima intentione facta sit (de quo problematice alibi fuit disputatum) nulla aderit cicatrix, quæ partem illam læsam, magis quam alteram possit breuiorem reddere. At si sit ex intentione secunda, & adsit cicatrix, Vterus sufficienter adhuc se dilatabit, ad bene continendum infantem,

fantem, eo quod reliquum Vteri facile se dilatabit. Quod si quis instet, etsi hoc detur, tamen cum Vterus magis in vnum quam alterum latus detrahatur, propter cicatricis duritiem futurum, vt & fœtus vna in id latus adducatur, & hoc pacto deformis reddatur. Verum nego ego, quod propterea malum aliquod matri contingat, neq; etiam infanti aliqua deformitas: quippe quod ex supra dictis infantibus, qui post talem sectionem concepti, & nati fuere, nullus fuerit, neque gibbosus, nec claudus, nec mancus, aut alio modo deformis. Ruptura enim, quæ in mulieribus sectis (bono omine) remanet, conducit infanti vt melius locetur, seque dilatet, & extendat, neque vllo modo quasi coactus detinetur, vt in omnibus obseruatum fuit: nec etiam aliqua ex matribus mali aliquid perpessa est. Addo etiam, fœtũ figuram & conformationem suam non ab Vtero accipere, tanquam ex proplastice, quidquid ab aliis in contrarium hac de re disputatum fuerit, sed solum ipsi fœtui est conuenientis domicilii, hypocausti & penarii instar, non secus quam terra grano frumenti, aliisque seminibus: syluestris aliaue arbor, ipsi taleæ, quæ inseritur: calor item fotrix ouo ad generationem membrorum ex ipsius albumine. Virtus enim fœtum
in

ſis vtero informans, ſemini tam virili quam muliebri incluſa, tacite inſita & abſcondita eſt; (quemadmodum longe exactius alio in loco à nobis fuit diſputatum) quamuis etiam Vterus ratione aliquarum qualitatum multum adiuuet, ſi modo vera eſt Hippocratis ſententia, qua ſtatuitur, mares vtplurimum in dextra, fœminas vero in ſiniſtra vteri parte fieri. Quare ergo non poſſet commode vnum continere, cum duo etiam locum habere poſſint? vel cur non duos, cum ſæpius tres contineat? præſertim cum aliquando abſque gemellis vna cum fœtu Mola, aut aliud onus grauius quam ſit fœtus cum omnibus ſuis inuolucris, contineatur: nec tamen animaduertatur, quod aut noxam infanti intulerit, aut quod valde moleſtum matri fuerit. Quo ad vltimum argumentum, quod ex auctoritate Hippocratis eſt deſumptum, quod erat de Contortione vteri, quæ vtplurimum ob attritionem, in difficili partu factam, aut ex caſu, aut ex imbecillitate naturali, vel accidentaria, & reſolutione alterius lateris, aut ex conuulſione, ratione plenitudinis alterius partis orta accidit: clarum eſt quod cum hoc nihil commune habeat: propter cicatricem enim hac in parte nihil debilitatus eſt, neq; relaxatus (ſed contra potius corroborari

debe-

deberet) neque in alteram partem conuulsus (vti iam dictum) est: quare argumentum ipsorum nihil concludit.

Alter probandi modus, quo fœcunditatem cicatrice non impediri ostenditur: argumento ducto à forti ad debile, quod consistit in assertione noui Paradoxi, quod tamen verum esse, & experientia, & rationibus Medicis comprobatum.

CAPVT III.

CVM argumenta hæc, quæ allata fuere, ab experientia & rationibus sint petita, satisfacere quidem deberent: verum vnum adhuc confirmationis gratia addam: cum Pessarium, satis quidem magnum, latum & crassum, Vtero inseri possit, & in fundo ipsius Vteri prius prolapsi, sed dein repositi, retentum (quo Vterum in corpore contineat) nec conceptum, nec gestationem, nec etiam partum (quod & historiis, & rationibus me probaturum spero) impediat: certe nec etiam cicatrix horum quicquam causare debet. Quod vt æquo animo suspicias, amice Lector, rogo, neue hoc primo statim intuitu absurdum tibi videatur, tanquam omnium opinionibus contrarium, & præsertim vt præ-

vt præcipuis auctoribus, tam veteribus, quã neotericis contrarium, cum quorum discipulorum ne minimo quidem me conferre volo, vt sententiæ meę applaudam, nisi quatenus & experientiis, & auxilio rationum veritate inexpugnabili roboratur. Quibus confidens, postquam diu restitissem, hæc proponere ausus sum, tam ad præcedẽtium confirmationem, quam ratione ea, quod vero Medico curæ esse debet, vt bona fide in communem hominum vtilitatem conferat, id quod nouum, & vero consentaneum in praxi obseruauit, in remediorum administratione, quæ illi solenni iuramento in bonum publicum fuere communicata. Hac enim ratione factum, vt ex additionibus talibus, artes ad eam perfectionem, quam habent, peruenerint. Primo ergo diligenter ex supra citatis historiis, rationibus & auctoritatibus notare oportet, Vterũ modo magis, modo minus prolabi, tam propter causas externas & violentas, quam internas, & id vel ratione humorum, aut sine humoribus: quæ vteri ligamenta labefactant, & resoluunt, aut ipsius orificium & ceruicem dilatant. Hoc enim non solum ex solo aliquo tumore, aut ipsius solidi corporis plenitudine, quod potius Vterum in corpore retineret, quam quod propelleret, accidere solet.

K Quod

Quod inde manifestum fit, cum minus prolabatur & relaxetur, menstruis instantibus (quo tamen tempore succulentus, plenus, & grauis est) aut tempore gestationis, quam fiat post fluxum menstruorum, aut post puerperium: propterea quod menstruum, antequam profluat, tumidum reddit, aut infans, quia antequam in lucem edatur, vterũ implet: hæc, ne procidat per orificium proprium & ceruicem tum nimis angustam, quam vt vterus adeo dilatatus prolabi possit, impediunt, ita vt tum temporis mulier quasi curata videatur. Verum cum non diu in corpore Vterus per se remaneat, Medicus arte auxilium fert, vt Hippoc. libr. de Morb. mul. docet. Sed & experientia noua ostendit, præ cæteris remediis, conferre certi alicuius Pessarii insertionem, quod forte casu inuentum, aut potius (meo quidem indicio) ab industrio Medico, qui id quod natura tẽpore gestationis facit, aut instantibus menstruis, imitaturus erat: & hoc quo impediatur, ne hæc domus, Vterus nimirum (vt sic loquar) per proprium ostium egrediatur. Pessarium vero hoc non simile est iis, quæ solum in ceruicem Vteri inseruntur, propter varios & diuersos Vteri morbos, quos aliquibus peculiari nomine Lemniscos vocare placuit: sed & commodum

&

& idoneum est, ad indendum & retinendũ in propria ipsius Vteri concauitate. Pessi, aut pessarii, aut Emmoti nomen, aliunde mutuantes, ipsi tribuimus (aliis nominibus deficientibus) cum de eo in specie ab antiquis nil fuerit traditum. Qui voluerit, Syphonem (Gallis *souspompe* dictum) nominare poterit, ad similitudinem instrumentorum hydraulicorum, quæ à Gallis *pompes* nominantur, cũ quibus in vsu similitudinem aliquam habent. Illa enim Vterum in corpore retinent, quemadmodum hic ipsam aquam in hydraulo.

De Pessarii huius inuentione, & diuersitate.

CAPVT IV.

QVOD à Veteribus de hoc Pessario nihil vnquam perfecte traditum fuerit, mirum non est, cum infinita sint leuia & cõmoda auxilia, quæ à mulieribus experientia quotidiana inueniuntur: quæ non minus ingeniosæ sunt in morborum propriorum auxiliis adinueniendis, quã natura verecundantur viris morbos suos exponere, qui inter ipsas secreti habentur, ita vt pleriq; ex ipsarũ Medicis ignorẽt: credo ego, apud ipsas hoc Pessarium diu loco secreti habitũ fuisse. Verum hoc tempore Chirurgorum ali-

qui hac de re, sed diuersimode libros conscribunt, & lectiones habent: nimirũ quoad materiam, ex qua hęc Pessaria facta sunt, quoad figuram, & quoad vsum. Aliqui enim ex sola cera, alii ex argento, aut auro excauato, alii ex subere cera tecto conficiunt. Praeterea aliqui figura rotunda, alii ouali, alii triangulari, aut quadrangulari, inæqualibus tamen lateribus, aut in angulos obtusos formant: alii forma cordis depressi, alii ex rotunditate oblonga & obtusa figurant: alii denique rotundos in latitudinem, quæ in medio aliquando, aliquando vero non perforata sint, parant. Sic etiam multi indentes, funiculum ad alterum extremum alligant, quo commodius, quando voluerint extrahere, possint: alii absq; funiculo indunt, ita tamen vt sine magna molestia, quando visum fuerit, extrahere possint, non secus quam si funiculus alligatus esset. Sunt vero alii, qui nunquam eximunt, quale est hoc pessarium, de quo sermo est, quod quando in interiori vteri capacitate est, tamen nihilominus mulieres viris cõcumbere possunt, etiam maritis, si modo ipsæ velint, ignorantibus: siquidem non solum locus laxus & amplus est, in quo continetur, sed etiam figura æqualis & polita est. Nec impedit etiam quo minus mulier concipiat, eundem

con-

conceptum retineat, vtero gerat, & pariat. Quod ſane admirandum auxilium, tutumq; eſt, quo tanto malo præcipitationis Vteri occurri poteſt, ita vt ſæpius malum omnimode curet, poſtquam aliquo temporis ſpatio in corpore geſtauere, ita vt eo opus poſtmodum non habeant. Imo etiam ſi mulieres prius propter Vteri præcipitationem cõcipere non potuere, vt concipiant auxilio eſt. Si enim Epiploon os vteri comprimens, vt 5. Aphor. 46. Hippocrates habet, conceptum impedit, quanto magis tantus vteri prolapſus id impediet, qui in ſeipſum relaxatur, quaſi ſeipſum oppreſſurus, niſi hoc modo occurreretur: quemadmodum in aliis fit, corpus emaciando, quod ſæpius diæta conuenienti à nobis præſtatur.

HISTORIÆ ALIQVOT CIRCA HOC propoſitum.

Paradoxum, quo oſtenditur etiamſi mulieres Peſſarium tale in Vteri corpore ferant, nihilominus tamen ipſas & concipere, & Vtero ad præfinitum à natura tempus geſtare.

Capvt V.

CVM iampridem mihi recitatum foret
en Puisaye, Puissaye mulierem quandam esse, quæ gestando hoc Pessarium, plures habuerit liberos: & postmodum etiam ab Obstetrice Picarda, Prignon nomine, (quæ à magnatibus propter insignem eius in arte & experientiam & dexteritatem summe expetebatur) eadem mihi essent narrata, nũquam tamen, vt nec & alii, fidem adhibere volui. Interim tamen non desii pluribus in locis ita diligenter hoc perquirere, donec tandem quod volui cognouerim, præsertim cum nuper etiam huius medicamenti effectum viderim, quod prius mihi non minus visum incredibile, quam olim fuit etiam doctissimis sub zona torrida habitatio, quæ tamen non ita pridem operâ quorundam Nautarum nobis exposita & patefacta fuit, idque contra celeberrimorum, qui vnquam fuere, tam Mathematicorum, quam Cosmographorum scripta doctissima, quæ indubitanter pro veris habebantur. Quare vt etiam pessarium hoc cognoscerem, elapsis

à Verneul pres Senlis.

diebus Vernolii prope Senlicetum & in vicinia anno 1579. omnibus modis laboraui, ita vt & viderim, & allocutus fuerim, & familiariter etiam cum pluribus mulierculis contulerim, quæ tali pessario vsæ fuere, & adhuc vtuntur, quarum pleræq; nomen ce-

lari

lati volunt: verum eæ, de quibus in sequentibus erit sermo, hoc tanquam omnibus vicinis notum non tegunt. Aliquæ etiam ipsarum sunt, quarum ne quidem mariti ipsas pessario vti sciunt: propterea harum etiam nomen subticere oportet.

Clementia Herauldie, Finet vulgo vocata, Geruasii du Mont opificis vxor, (quæ iã olim Gisordio Normandię Vernolium cõcessit) Ioannis Herauldie Finet dicti, olim Gisordii Tonsoris filia, cum valde iuuenca nupta fuisset, ante decimumtertiũ ætatis annum prolem habuit, quæ res forte in causa fuit, cur vteri procidentia laborarit. Ex Galeni enim sententia, libro de Natural. facult. sæpius ob fortem conatum in partu vterus prolabitur. Quare cum ab ipsa Vterus, etsi rursus corpori insereretur, contineri nõ posset, pater ipsius, qui Chirurgus erat, pessariũ tale illi præparauit, qualia ipsa nunc parat, & aliis mulieribus, quæ eo opus habent, exhibet: cuius nomine sępius tam à vicinis, quã à longe remotis consulitur. Hæc dum pessarium tale ferret, tertio concepit, vtero gestauit, & peperit; quamprimum enim esset enixa, rursus Vtero indebat, eo solũ abstersо, & butyro oblinito, nec alio nouo vtebatur. Ita vt iam ab annis quadraginta & vltra, vno eodemque pessario solum vsa sit, absque

de Gisors en Normãdie.

cum ab Vteri prolapsu recte fuerit curata: ita vt ab eo tempore rursus filios gemellos adhuc viuentes pepererit, quod sane multis de causis (quas breuitatis habita ratione omitto) memorabile est.

Confirmatio prædictorum, quæ rationibus aliquot, contraria soluentibus argumenta, absoluitur.

Capvt VI.

Cvm scripserim pessarium hoc in interiorem Vteri cauitatem inserendum esse, Doctorum aliqui sunt, qui contrarium sentiunt, statuentes pessarium in collum Vteri solum inseri, nec posse vlterius quam ad os Vteri immitti. Verum ipsorum obiectionibus (quæ potius ab auctoritatibus, vel præiudicio aliquo, quam ex rationibus solidis dependent) respondendum, quibus solutis clare ostendemus, non solum possibile, sed etiam necessarium esse, vt ad pessarium hoc indēdum os Vteri recludatur: quod duabus rationibus absoluere possemus. Primo quidem Problemate, iampridem à quibusdam studiosis doctissimis, primum quidem in fine cuiusdam Anatomes, dein etiam Monspessuli in disputatione, vt vocant, Quodlibetaria, proposito. Quod quidem tametsi rationibus haud euerti possit (re-

moto omni præiudicio) ne tamen aliquorum lectorum aures delicatas offendamus, in aliam disputationem problema hoc reiiciam, quod in Scholis, potissimum vero Anatomicis, commodius exponi poterit, subiecti & terminorum, quibus vti oportet, ratione habita. Quare ad alteram rationem, quæ magis seria est, descendam, quæ talis est:

Si totus Vterus in modum sacci inuersus, (vt contra Græcos ex Arabibus probauimus) ex interiore corporis parte, extrorsum prolabi potest, imo sæpius vltra medium femorum, & mole duos pugnos excedente, tum oportet necessario, vt hoc magnum, crassum & oblongum Vteri corpus, per ipsius os transierit, & rursus etiam absq; magna difficultate pertranseat, quando is in naturalem locum reponitur, & id antequam pessarium, de quo agimus, indatur: quod tamen quam sit ipsius Vteri corpus, longe minus est. Quare ergo non subito & tum etiam quando recenter os Vteri dilatatum est, facile pessarium hoc inderetur? quod cum semel inditum est, in Vtero ita se disponit, vt nec ipsum, nec etiam Vterus excidat, si modo pessarium vt conuenit sit paratum.

Quare amplius non miror, si mulieres iis pessariis

pessariis vtentes, quæ multi Chirurgi rem non intelligentes, suo more parata & effigiata adhibent, & in collum Vteri, non autem in capacitatem induunt, parum, aut nihil omnino fructus persentiant: sed econtra sæpius plus quam prius molestiæ perferant, tam quoad dolorem, quam impedimenta in actionibus muniisque domesticis. Adde etiam, quod potius Vteri prolapsum causant, quam quod retineant, cum Vteri collum, per quod delabi debet, dilatatum retineant.

Corollario alia instantia, quæ contra oris Vteri in mulieribus grauidis apertionem adferri potest, soluitur.

CAPVT VII.

CVM hanc disputationem de apertione oris Vteri, vsque ad mulieres grauidas perduxerimus, (quod sane hodierna die paradoxum est, vt sunt & alia plura) paucis pro eius probatione, rationem eam quæ sequitur, subiungemus. Quæ sane ratio sententiæ Hippocrateæ correspondet, licet Aphorismo 51. lib. 5. nobis contrarius esse videatur: quo in Aphorismo perspicuis verbis exponit: *Os vteri in iis, quæ vterum ferunt, comprimi,* quod sane non de adeo exquisita & perfecta occlusione intelligi debet, quemadmodum Gale-

Galenus intellexisse videtur. qui inquit: à conceptu vsque ad tempus ipsius partus, ita occlusum esse os vteri, vt ne quidem apex alicuius acus indi possit. Quæ sane opinio introducta & per manus tradita fuit: siquidem primo intuitu videtur, quod si secus se haberet, futurum vt semen statim elaberetur: quod tamen etiam absque hac perfecta occlusione ab Vtero expetitur, recipitur, agglutinatur, & retinetur, nisi ob violentam concussionem effluat, vti ei ancillæ, de qua Hippocrates, accidit. Vocabulum hoc Græcum σύλληψις, aut Latinum conceptio, causa forte fuit huius opinionis, quasi significans Vterum necessario vndiquaque sperma cõplecti debere. Verum Galenus in Comment. aphor. 1. lib. 6. in voce Lienteriæ, satis ostendit, sæpius rem non talem esse, qualem vocabulum vsu receptum denotare videtur. Sed præter instantiam, circa hoc Pessarium ab αὐτοψία desumptam: contrarium tamen huic sententiæ multis naturæ effectibus ostendi potest, cui ex artis decreto lex nulla statui potest: inter quæ sunt: primo quidem Superfœtationes, de quibus adeo multa scripta fuere, siue sint naturales, quãdo nimirum fœtus vnus post alterum concipitur, vti probabimus: siue non naturales, sub quibus omnis generis moles informes,

molas

molas item & irritos inutilesque conceptus colloco: ex quibus superfœtationibus nulla vnquam fieret, si os Vteri non recluderetur, vti multi sentiunt. Verum quidem est receptam opinionem esse, rudiores molas ex solo spermate muliebri oriri. Hoc si verum esset, tum argumentum nostrum hic locum non haberet. Hæc enim ouis subuentaneis, ouis nimirum gallinarum sine gallo degentium assimilatur, quæ oua licet sint sterilia, nihilominus tamen forma, figura & sapore, cum aliis conueniunt. Sed eiusmodi irriti & inutiles conceptus, cum vero Embryone fœtuve nihil similitudinis habent. Verum cum talia raro aliis quam mulieribus maritatis, aut viro concumbentibus, grauidis, aut non grauidis accidant, idcirco multi sunt, qui contrarium sentiunt, statuentes semen virile imperfectum, & facultate formandi fœtum priuatum cum semine muliebri cōcurrere. Cuius causa ab Vtero attrahitur, qui eum retinet, & sanguine menstruo alit, quod non faceret, si muliebre solum semen adesset, absque virili, quod tamen Vterus appetit. Qui huius opinionis sunt, parum certe aliquarum puellarum aut monialium, aut viduarum honorem curant, quibus nescio quomodo talia accidere solent: quare ipsorum sententiæ esse nolo, & propter ipsas

à pro-

à proposito (in præsens) desistam. Quoad naturales superfœtationes, hoc verum esse, quod duo infantes, dierum aliquot interiecto numero, vnus post alterum conceptus sit, sufficienter ostendunt, quod iam pridem Pithuueris semel obseruaui, in muliere quadam, quæ tribus septimanis post priorem partum (è cuius puerperio iam erat egressa) secundum infantem enixa est. Hanc rem historia Dominæ de Malorthye, quæ omnib. nota est, comprobat, quę ita se habet.

SVPERFOETATIONIS historia.

de Neuchastel. DOMINA Maria è Nouo castro, cum ex Barone Cremalliensi nouem liberos de Cremaille. suscepisset, secundo contracto matrimonio cum D. de Malorthye, ex quo grauida reddita, tres filios vna vtero gestauit: hinc factũ (vt cum paruæ sit staturæ, sed tamen fertilis) vt adeo fuerit grauata, vt circiter quintum mensem ex filiis vnum fuerit enixa. Quare cum existimaret D. Theobaldus (vt & ipsa) à Chasteau-tierry. celebris Medicus Castro Theodoricensis in Campania, alios duos filios, nihil aliud quã lochia retenta esse, aut molas, irritosve conceptus, ipsi post octauũ ab abortu diem, forte medicamentum, ad hęc expurganda aptum exhibuit, quod sane abortum secun-

dum

dum duorum aliorum filiorum causauit: qui adeo integri & viuaces fuere, vt ipsemet Medicus, quem consilii sui pœnitebat, testaretur, nisi medicamentum purgans vim ipsis intulisset, licet prius abortum fuisset passa, quod tamen absque dubio ad rectam perueniissent maturitatem. Ab illo tempore sæpius grauida facta, & fere semper gemellos tulit, modo puellos, modo puellas. Verum dum semel vtero gestaret, à cuiusdam canis vehementi impulsu adeo læsa fuit, vt statim male habens non dubitarit, quin apud eam fœtus esset mortuus: quare quindecim dierum spatio post, duos infantes peperit, quorum alter mortuus erat, quem diu ante mortuum fuisse manifeste erat colligere: alter vero viuebat, sed adeo debilis, propter malum à fratre gemello communicatum, ita vt triduo integro sugere non potuerit: diligenti tamen cura factum, vt indies melius se haberet, qui nunc annorum est octodecim, & in Regis Galliarum magno equili. Quas Historias, ex epistola quadam, quam habeo, à D. de Malorthye, ad Dominam Bellouocam Naugiensem scripta, desumpsi, in qua omnia in specie deducit, quamque manu propria subsignauit, postquam à D. Seuræo docto & exercitato Medico Meledunensi diu preci-
bus

de Beauuais de Nangi.

à Melun.

propria, quam ipsius fœtus molestia, copioso fluore vterino phlegmatico, menstruisq; albis laborant: quæ omnia aliunde quam ex cauitate Vteri profluere nequeunt, quidquid in diuersum ab aliis dicatur. Etsi enim concedendum foret, quod tamen minime necessum, sanguinẽ menstruum in grauidis ex venis cruralibus profluere, & ex iis venis, quæ collo vteri sunt insertæ, quæ solum sanguinem continent: dici tamen non potest eiusmodi humores & excrementa, quæ nullo modo sanguinea, sed cruda, viscosa, crassa, interdum putrida, pallida, viridia, sed sæplus decolora sunt, in tanta copia, aliunde quam ex quadam ampla concauitate, vbi humores hi collecti fuere, promanare: non autẽ ex quopiam loco, qui perpetuo fluxui obnoxius sit, vt est collum vteri, quod in recipiendis, & statim reiiciendis excrementis vteri, pari munere fungitur cum naribus, quæ crassam, aut copiosum mucum statim euacuant, qui primo collectus, & longo tẽpore in superioribus concauitatibus, supra ossa Ethmoidea infarctus fuit. Necessario enim oportet, vt eiusmodi vteri excrementa, si talia sint, qualia ex vteri collo promanare conspiciuntur, primo fuerint recepta aut genita, diuque in quadam earum partium concauitate retẽta, quæ alia esse non potest,

quam ipsius vteri capacitas, ex qua cum hæc excrementa promanant, tam in iis quæ grauidæ sunt, quam quæ non sunt, si modo excerni debeant, vt ipsius os recludatur oportet.

Verum licet eiusmodi excrementa, aut fluores vterini vnius aut alterius superfœtationis, conceptionem præcesserint, aut eam sint secuti, nihilominus tamen hoc ad sententiæ nostræ confirmationem facit. Si enim præcesserint, æque admiratione dignum, quomodo postmodum concipere potuerit, quam mirum videtur fieri posse conceptum supra cicatricem aut pessarium, ex subere cera obducto, & bene composito: quod tamen fieri posse, statuimus. Contra vero huiusmodi molæ, aut fluores menstruorum alborum, quemadmodum etiam superfœtationes, si post conceptum superuenere, tum os vteri grauidæ recludi oportet; quo fluxui eiusmodi humorum exitus detur, quemadmodum etiam ad receptionem noui spermatis, alio iam prius recepto.

Tum, hoc inde etiam apparet, si plurimorum sententiam magis verisimilem sequemur, quæ est de emissione spermatis grauidarum viris concumbentium, in quibus non secus quam prius, sperma è vasis in vterum

tum excludetur, vterique collum lubricum reddit, quod sine oris vteri reclusione fieri nequit.

Quarto, notandum, grauidarum aliquas, præsertim valde sanguineas, vt quotidie obseruare licet, qua de re etiam plures scripsere, ordinarie menstruas suas purgationes, & eas copiosas habere: absque tamen fœtus nocumento, vt qui plus alimenti, quam indigeat, habeat: ratione etiam cuius sæpius sanguinem venæ sectione ipsis detrahimus, ad grauiora symptomata, non solum ipsius plethoræ, sed etiam cacochymiæ, quæ breui subsequitur, euitanda. Hippocratis tamen tempore periculosum hoc erat, quia eius ætate copiosior sanguis, quam nostro tempore fiat, mittebatur. Hanc ob causam 5. Aph. 30. vt à venæ sectione abstineatur, monet. Veruntamen sanguis hic menstruus grauidarum, etiam ex ipsius vteri capacitate promanat (vti alibi à nobis fuit ostensum) & quidem ex aliquorum acetabulorum reseratione, quibus fœtus per secundinam non alligatur: si enim ex his venis efflueret, abortus sequeretur, quod tamen non fit: sanguis autẽ hic profluens, nõ magis fœtui suis membranis inuoluto molestiam infert, quã supra dicta excremẽta alba aut putrida faciant. Attamen tũ forte (non tamẽ necessario)

gnum (quando semel vtero inditum est, & inde non retractum) non intermittant frequenter cum mulieribus conuersari, & quidem absque noxa aut impulsu, imo vt etiam maritos lateat, si modo mulieres ipsos celare velint. Quod si solum in vteri collum pessarium esset inditum, propter ipsius magnitudinem ipsos latere non posset. Quare necessario sequitur, vt in concauitate vteri tale pessarium contineatur.

Pessarium non impedire, quin apte semen & recipiatur, & vtero recte adhæreat.

CAPVT VIII.

VERVM metuendum non est, eiusmodi pessarium (si modo vti oportet, formatum & compositum fuerit) impedire posse, quo minus sperma viri & mulieris, vti conuenit, recipiatur, agglutinetur, & parietibus internis ipsius vteri adhæreat, quod & alterũ in Medicina Paradoxum esse videtur, sed tamen cum Hippocratis doctrina conueniẽs. Si enim tale semen receptum, vni solum ipsius vteri parti adhæreat, & ab ea alimentũ sumat, satis est, modo pro ipsius conseruatione & nutritione, sufficientia acetabula adsint, nec magis omnibus opus habet, quã

infans duabus mammillis, si vna sufficienter alimenta (vt sæpe accidit) ministret. Quare pessarium hoc ex subere paratum, non impediet, cum sit mediocre, leue & politum, & sic per consequens Embryonem nec comprimere, nec detrudere, nec lædere potest, quod in brutis polytocis, præsertim catellis vtero contentis, obseruare licet: quorum singulorum secundinæ separatim adhærét, à se inuicem satis distinctę. Ratio hæc punctum meretur, non solum propter huius dubii explicationem, sed propter nouam, veram & necessariam ipsius Aphorismi 59. lib. 5. interpretationem, quo in Aphorismo Hippocrates ostendit, mares dextra, fœmellas vero sinistra vteri parte contineri, quod de adhæsione intelligi debet: quod & ipsæ mulieres persentiunt, idque vel ex pondere aliquo, vel ex motu Embryonis, in vno magis quam altero latere, & hoc vsitatum & certius ipsarum secretum est, quo de sexu infantis prædicunt. Eadem hæc interpretatio plures obiectiones, quæ contra Hippocratem fieri possent, soluit, præcipue autem explicat Aphorismum 38. lib. 5. in quo agit, vt ante ostensum, de Gemellis: quorum si alter ex vno latere abortu excludatur, alter tamen ad præfinitum à natura tempus gestetur, necessario sequi vt non vna iisdem acetabu-

cetabulis adhæreant: secus enim si esset, vna excluderentur, sed quilibet per propria acetabula secundinæ adhæret.

Solutio aliarum obiectionum, & probatio huius pessarii vsum nouum non esse: licet assertio hæc, qua statuitur mulierem pessarium gestando nihilominus concipere posse, obseruatio noua sit.

Capvt IX.

HÆc sunt, amice Lector, quæ vera esse adinueni, & huic tractatui inserere volui, vt rem propositæ materiæ non dissimilem, tam quoad subiecti materiam, quam quoad rei nouæ & paradoxi affirmationem: quod tamen necessario verum esse debet, aut sensus non solum vnius, sed omnium fallaces erunt, à quibus tamen principium & modus verum à falso discernendi, dependet. Addo etiam vtilitatem, quæ inde percipitur, imo & necessitatem, si recte & dextre adhibeatur, idque tam in commodum & leuamen matris, quam ne spes adimatur vtero adhuc gerendi, dum eo etiam pessario vtuntur, quod secus non fieret. Rei veritatem omni inuidia remota tibi patefeci, dum & locorum & personarũ nomina proposui,

quo iis in locis, & etiam alibi, huius rei veritatem cum iudicio perquirere possis, vsq; dum tibi satis fiat, quemadmodum etiam à me factum est, donec temporis tractu in posterum huius rei maiorem comprobationem accipias. Obiicies fat scio, hac de re nil vnquam traditum fuisse, tam à veteribus, quam neotericis, qui tamen in aliarum rerum inuestigatione diligentes fuere, nec etiam in vsum receptum, nec obseruatum esse, à tot Chirurgis acutissimis. Quod sane lubens concedo, ne cum contentiosis in disceptationem veniam, quod etiam de sectione nostra Cæsarea intellectum volo: attamen rem tibi exposuimus, quam perpédes. Non enim omnia ea, quæ olim facta sunt, literis fuere tradita, vt nec ea singula quæ rara & secreta fuere ad nostram cognitioné peruenere; semper enim quędam fuere remedia, præcipue inter mulierum secreta propriis morbis conuenientia, quæ quasi per manus sibi inuicem tradidere; quemadmodum & olim inter Medicorum secreta fiebat (imo ab ipso Asclepiade) qui plurima ex secretis solum suis, quasi hæreditario iure detegebant, idque solenni iuramento dato, se ea aliis non expositurOS, quod ex iuramento Hippocrateo coniectare licet. Inter mulieres hoc accidere, multo est verisimilius,

lius, præsertim in celandis iis, quæ ad partes genitales spectant: siquidem & viros ipsos, qui tamen minus ipsis verecundi sunt, pudet earum partium affectus exponere, ita vt solum familiarissimis & quidem quam tardissime hæc exponant. Quod à Plutarcho in libro de Curiositate traditum fuit, dum inquit: Si Herophilus, aut Erasistratus, aut Æsculapius ipse homines vt dictum existentes, morborum remedia & sanitatis instrumenta in manibus habentes, vltro aliorum ædes accederent, inquirentes essetne vir aliquis circa anum, aut mulier aliqua cancro pudendorum laborans, qui ipsorum indigeret opera: illi certe tanquam aliorum secretorum indagatores abigerentur.

Verum hæc parua & leuia, sed perutilia, & certa remedia melius & rectius inter plebeios, qui qualicunque experientia contenti sunt, quam inter magnates in augustioribus locis conseruantur. Sic enim sæpius fastuosus & arrogans Doctor quispiam, sed parum exercitatus Medicus (qui Legislatoris instar, naturæ imperare putat, non autem ipsi, vti deberet, auxilium fert, iis remediis, quæ à natura quasi digito & ad oculum ipsi ostenduntur) aliud non facit, quam vt vel inuidia, vel contemptu motus, quo minus alius quispiam minoris nominis melius ipso

fuisse, vbi inquit: *Si Vterus intra coxas, sicut suppuratur, necessarium est emmotum fieri.* Si modo alibi quoque eius rei meminisset, eo nimirum in loco vbi speciatim vteri prolapsi curam tradidit: aut si quispiam è veteribus ea de re quippiam scripsisset: aut denique si huius Aphorismi interpretatio à Galeno tradita, alio non pertineret, qui circa vocabulum *διαπυήσει* subsistit, quod pro *διαπηδήσει* aut *διαπέσει* ab illo tēpore forte positum, quo Aphorismi hic sit sensus: *Si Vterus intra coxas siue deciderit, aut desilierit, necessarium est emmotum fieri.* His non contrariatur ipsius vocabulum *Emmoti aut Linamenti*, emphaseos allegatio, cum ex diuersis materiis, vnum idemque remedium fieri possit. Atque res ita se habeat, siue minime, nolo tamen auctoritatem tantorum Interpretum, quos habuit, cauillari, quos ego & veneror, & imitari volo, qui sæpius non meruere modeste ea, quæ ab ipsis erant inuenta, in vtilitatem posterorū proponere. Quo tacite nos monuerūt (quod & meum est propositum) vt idem in gratiam nostrorū faciamus: plerrũq; vero quando de veritate q̄stio est, q̄ cum temporis sit filia, à patre suo didicit, nō omnia vno eodēq; tēpore producere. Sed vtcūq; res se habeat, id tanq̄ alia bona acceptare debemus, & à manu nō ingrata recipere, quando

quanto magis industrius es, & scientiam maiorem es adeptus: quantam scientiam, plures eorum, qui hanc sectionē, vt potuerunt, aduministrarunt, non habuere, quibus tamē feliciter successit: quare ei, à quo solo omnis felicitas procedit, sit laus. Sed tamen vt adhuc tibi gratificer, simque auxilio iis, qui nō adeo in arte sunt exercitati, donec (hęc vbi sępius exercueris) ipsis meliorē instructionem proponas, quemadmodum tractatio hæc meretur: quędam vniuersalia quasi in genere deliberatiuo, nec tamen curiosius proponā, vt facit nimis phantasticus Pictor, qui dum manum à tabula remouere nō potest, existimans magis affabre se picturum, id quod satis commode erat delineatum, nil facit aliud, quam totum opus confundere & deuastare.

Primo tibi considerandum erit, aliaquane sit spes alio faciliori modo fœtum nanciscendi. Dein, sitne mulier robusta, & an signa lethalia adsint: præcipue autem an nō nimium ab Obstetricibus, aut ob summos & violentos in partu conatus læsa fuerit: aut quorundam Tonsorum carnificina crudeliter dilacerata, quod frequentius ab ipsis, quā à matronis fieri solet. Si enim eam tum mori contingeret, causa mortis sectioni tuæ, nō autem ipsorum erratis adscriberetur. Sic,

post-

primo post sectionem apparatu, separatim habere oportet, aut eadem, si tibi ita videatur, coniunges. Postmodum vbi te monitore, vrinam, si fieri poterit, reddiderit, (quo vesica vacua deorsum cõcidat, & minus impediat, quamuis ea locum sectionis non attingat) situanda est, si vires valeant, supra lecti extimam partẽ in dorsum inuersa & inflexa, ita vt tibiæ aliquantũ propendeant, sed firmiter coniunctæ seruentur, ipsa vero blãde à familiarib. robustis & animosis sustineatur. Aut si vires sint ꝓstratę semidecumbens continenda (hic enim situs à Syncope præseruat, q; in sectione venæ eorum, q lipothymiis obnoxii sunt, obseruare solemus) ita tamen vt versus pedes aliquantum ꝓpendeat, tibiæ vero æqualiter sint extensæ.

Tum vnum aut alterum quod voles latus eliges, hoc enim in idem recidit, vt ex supra citatis historiis colligere licuit. Attamen si Hepatis aut Splenis aliqua durities adsit, cõsultius videtur fore, si oppositum latus incidatur, idq; variis de causis, de quibus alibi acturi sumus.

Si vero hernia sit in latere eo, quod incidere est animus, & quod censeatur intestinum ibi, nimirum inter Peritonæum & Vterum non hærere (difficulter enim ibi esse potest, quia vterus in muliere valde grauida

decussatas. super lineam primam per abdominis longitudinem ductam, notare oportebit, & vt exsiccentur, curandum: supra quas puncta futuræ sutura sibi inuicem rectè respondentia locandæ, quo recta fiat Gastroraphia.

His peractis, sectio ipsius Cutis, supra lineam dextre adhibenda, ad pinguedinem vsque, sed cautè, nouacula in adigendo: cuius vulneris longitudo erit, dimidii circiter pedis, plus minusue, prout mulier magno paruoue corpore fuerit, postea eodem prioris sectionis tramite, prudenter, & quidem secundum longitudinem, Musculi ipsius Epigastrii incidendi, & etiam peritonæum. Sed caute inquam peritonæum secandum erit: sub eo enim ipsius vteri corpus tũ prætumidũ se offert, ipsis intestinis, quæ abscõdita subiacent, incumbens. Tum implorato diuino auxilio, vterus incidendus erit, ita tamen vt alta non fiat sectio, ne fœtus, si adhuc fruatur vita, lædatur: si enim mortuus sit, tum citius omnia peragi possunt, cauendo solum ne nimium mater lædatur. Incipienda erit sectio in summo ipsius vteri, & deorsum inter latus & anteriorem partem ducenda, quo iis locis, vbi sunt Epididymi, vasa spermatica, & Testiculi muliebres, caueatur.

M Quod

Quod vt tutius fiat, consultum erit, tunc ad manus habere nouaculam alteram, dorso crassiore, acie acutissima: ita tamen vt ipsius acuminis principium globulo plumbeo aut buxeo muniatur (ad instar cultri, quo vtuntur ii, qui omasa praeparant, & intestina repurgant) ne acumine infans, dum se in vtero mouet, alioue pacto laedatur.

Post foetus & secundinae extractionem, linteamine tenui, molli, blando & veteri, octies vel decies breuiuscule complicato, & sequenti decocto imbuto (quo loco spongiae vti licebit) diligenter & blande is, qui aderit sanguis, abstergendus est: ita tamen vt blando calore foueatur, quo duabus satisfaciamus indicationibus, & quidem contrariis, idque eodem tempore, habita ratione breuitatis temporis, quo id fieri debet. Decoctio sit talis:

Recipe herbarum Artemisiae, Absinthii, Agrimoniae, Betonicae, Althaeę, Florum Maluae arborescentis (quam Rosam transmarinam aliqui vocant) si reperiatur, foliorum aut florum Granatorum, Rosarum syluestrium odoratarum, Rosarum rubr. exsiccatarum ana M. j. rad. Aristolochiae longae & rotundae, Cyperi, Schoenanthi ana circiter ℥. ß. Fiat omnium decoctio vsque ad tertiae partis consumptionem, in vini crassi rubri

Fleurs de Roses tremieres. d'Esglantier.

&

& austeri ℔.vj. (sunt duę pintæ Parisienses) dein coletur: colaturæ addatur Aquæ fabrorum hemina, id est, quartarii duo (est dimidia cheopina Parisiensis) & rursus vna bulliant. In hoc decocto temperati caloris, linteamen complicatum, eo modo, vt dictum fuit, intingatur, & exprimatur: hoc eadem opera & saniem absterget, & partem lęsam fouebit, sanguinis fluxum sistet, partem defatigatam corroborabit, & lochia, quæ fluere debent, promouebit. Sed hoc loco studiose dictum illud, *Festina lente*, obseruandum.

Hæc vbi ratione Vteri peregeris, & eum blande in locum conuenientem, absque tamen sutura, reposueris (Vteri enim in seipsum contractio, quam sutura melior est) tum statim Gastroraphia adhibenda (id autem festinanter fieri non debet) vulneri ipsius abdominis procurans, ne frigore interiora afficiantur, & apte vulneris labra secundum lineas decussatas, vt iam dictum fuit, committenda. Quæ quidem res & secundi alicuius operam requirit, qui intestina, quæ tum iuxta vulnus, quod consuitur, occurrunt, intro trudat, ne ipsa vel acu lædantur, aut inter puncta suturæ occludantur, dum locum eum, quem prius Vterus iam retractus obtinuerat, occupant.

Nec etiam nimis cunctanter res agenda, vti prædictum, vel in curiosa gastroraphia administranda, vel aliquid cum ægrotæ periculo experiundo, ne totum opus corrumpatur: siquidem experientia compertum, quod in iis, quæ incisæ omniũ optime conualuere, nil aliud quam cutis, & quidẽ paucis punctis consuta fuit, nec tamen propter herniam, quamuis valde magna foret, aliquid molestiæ pertulerunt. Nam (vt est in prouerbio Gallico) melius est infantẽ mucosum relinquere, quam nasum omnino auellere.

Post suturam Abdominis, reliqua, quæ in aliis etiam recentibus vulneribus fieri solent, erunt administranda, vsque ad cicatricis generationem: frigus tamen summe cauendum: fiet autem id per vnguenta, cataplasmata, emplastra, fotus, puluillos, stupas bene pexas, pro ratione temporis, & indicationum.

Ratione autem Vteri, duo potissimum conuenient; Pessaria, & Iniectiones in Vterum. Pessaria erunt effigiata in formam penicilli, pollicis crassitie, aut paulo minora, & satis longa, quovsque in concauitatem vteri absque offensa indi possint. Parabitur autem ex linteo, aut ex candela cerea perforata in modum penicilli fistulati (quas Tentas can-

tas cannulæs vocant) linteo, aut bombace obducto, butyro recenti, pinguedine gallinæ, oleo rosato, vitello oui iniuncto: quod sæpius extrahendum, & rursus intrudendũ erit. Proderit tale pessarium, tum ratione longitudinis, tum etiam ratione perforationis, quo saniei pateat transitus: dein etiam vt collum & os vteri muniat, ne saniei acrimonia afficiantur: Hippocratis consilium imitantes, si modo communem interpretationem sequi velimus: *Si vterus inter coxas iacens suppuretur, necessarium est emmotum fieri.* Quod si sæpius id extrahamus, non impediet quo minus puri, humori pituitoso, aut grumis ipsius sanguinis detur exitus, sed potius ea secum ducet.

In eundem vsum Clysteres vterini conuenient, qui ipsum fouebunt, abluent, abstergẽt, roborabunt, & consolidabunt: quę parabuntur ex decocto Artemisiæ, agrimoniæ, absinthii, althæę, plantaginis, rosarum rubrarum: floribus aut foliis maluæ arborescentis, nepetæ: radicum aristolochiæ, salsæ parillæ, cyperi, schœnanthi, quæ omnia decoquentur in aqua chalybeata, addendo parum vini crassi austeri, & optimi hydromelis aliquid. Horum nihil, aut parum, in supra citatis historiis obseruatum fuit, quæ nihilominus tamen rectè, & cito

curatæ fuere. Quare si prędicta omnia habere non liceat, non tamen ob absentiam (vt est in vulgari prouerbio) vnius Monachi, Abbatis electio intermittenda.

Victus ratio sit ex cibis euchymis, & si, quoad vires concedent, tenuis. Mulieres enim modo enixas, & tali pacto exercitatas corroborare conuenit: at in vulneribus & apostematibus interioribus exquisita victus ratio reqritur: quare mediũ seruare oportet.

Quod si aluus non respondeat, Clysteribus ex saccaro rubro, diapruno simplici, butyro recenti, oleo rosato, cum iure gallinæ pinguis, absq; herbis & sale paratis vti oportet. Reliqua pro iudicio Chirurgi & prudentis Medici, qui forte aderit, fient.

Verum quemadmodum Varro doctissimus, ex numero primariorum Romanorũ, de Philosophia scribens, de ea non peculiariter tanquam dogma aliquod propositurus scripsit, sed solum vt iuuentuti eius gustum aliquem proponeret. Sic etiam, candide Lector, me fecisse cogitabis, non quod præcepta necessaria tradiderim, sed solũ vt te eius monerem, cuius partim ex inspecto opere, partim vero ex dato alijs cõsilio, quibus bene successit, obseruationem habeo, tibi id, quod hactenus obseruaui, digito ostendens, quo hæc tanquam ex tua officina profecta

agno-

agnoſcens, & etiam ſeriò poſtmodum ei incumbens id & tuearis, & proſequaris, ne præda, quam tuo labore eris aſſecutus, priueris. Ad quod præſtandum tibi Dominus ſucceſſum largiatur, quo feliciter ad humani generis vtilitatem, ipſiusq; gloriam hæc præſtare & perficere poſſis. Cui, vt & Spiritui ſancto, ſit honor & gratia per IESVM CHRISTVM Filium ſuum, Dominum noſtrum, in ſecula. AMEN.

MARONIANVM AVCTORIS AD LIBELLVM.

Nunc te ſtramineum pro tempore fecimus, olim
Si fœtura gregem ſuppleuerit, aureus ibis.

FINIS.

3. Vteri cum fœtu putrefacti historiæ. SECT. IV.

4. Vteri vel sponte elapsi, vel absque morte exsecti exempla. SECT. V.

5. De variis Pessariis, & quomodo ea conceptum non impediant, idq; superfœtationis exemplo. SECT. VI.

Conabor hæc exemplis & historiis, partim mihi per literas communicatis, partim ab Auctoribus descriptis, & partim ex propria obseruatione petitis, illustrare & comprobare.

I.

EXEMPLA ALIQVOT ΤΗΝ ΥΣΤΕΡΟΤΟΜΟΤΟΚΙΑΝ comprobantia.

HISTORIA I.

CVM circa annum salutis 1500. Elisabetha Alespachin, Iacobi Nufer ὀρχοτόμου in pago Sigershausen (præfecturæ Gottliebanæ in Turgauia, parochiæ Altishuuilanæ) vxor, primo vtero gestaret, & iam doloribus partus per aliquot dies diuexaretur, ad se Obstetrices tredecim, & aliquot lithotomos vocauit à quibus, frustra tamen, opem sperabat, cùm nec fœtus excludi, nec etiam dolores mitigari possent. Quare iam despe-

rata salute, maritus vxori consilium suum communicat: quod si consentiret, velle se quo speraret, annuente Domino, felicē successum, in ipsa suam experiri industriā. Annuente ergo ipsa ad Archipræsidem Frauvvenfeldensem abiit, rem vti se habebat, exposuit, conatum aperuit, licentiamque sibi dari rogauit. Re intellecta, Archipræses primum quidem difficiliorem se exhibuit: dein vero fiduciæ mariti confidens, annuit. Quare licentia impetrata, domum redit, Obstetrices alloquitur, & hortatur, vt quæ cordatiores sint, sibi & vxori in Hypocausto assistant: timidiores vero ex conclaui recedant: moliturum enim se aliquid, quo, benedicente Domino, salutem Vxoris speraret. Obstetrices ergo, consilio magna cum admiratione intellecto, ex ipsis vndecim è conclaui recessere: duæ cordatiores cum Lithotomis mulieri parturienti adstitere. Quare Maritus implorato primum diuino auxilio, & ianua diligenter clausa, Vxorem mensæ imponit; abdomini vulnus (non secus quam porco) infligit. Verum primo ictu ita feliciter abdomen aperuit, vt subito infans absque vlla læsione extractus fuerit. Cum iam vndecim Obstetrices, quæ præ foribus stabant, infantis vagitum audirent, intrare (sed frustra) expetebant: non enim intromissæ

missæ fuere, antequam fœtus mundatus, vulnusque Veterinario more consutum foret, quod postmodum absque alio superueniente symptomate, feliciter coaluit. Eadem enim post hancce τομοτοκίαν, secundo gemellos enixa est: quorum vnus Ioannes Nufer nomine, pagi Sigershausen Præfectus, annum iam agens sexagesimum, anno octuagesimo tertio adhuc in viuis fuit. Post hos gemellos quatuor alios liberos enixa est. Exsectus vero infans, primum anno salutis septuagesimoseptimo, diem suum clausit. Huius etiam mulieris liberi atque nepotes adhuc viuunt superstites.

HISTORIA II.

VIVVM valentemque educi fœtum posse, tum omnibus quidem integris ipsius rebus, tum etiam matris: vtero nimirum ad latus vmbilici alterutrum dissecto prudenter. Cuius argumenti disceptationem, quando rationibus multis & operibus, etiamque euentis nouissime confirmauit Doctor Franciscus Rossetus, vir vitæ & artis clarus, integritate & vtilitatis publicæ amantissimus: rati desistēdū nobis ab hoc incœpto, censuimus indies rē nostrā, hoc est, Hippocrateam, eodē pacto vniuscuiusq; Doctorū

opera

opera scriptoque amplificari oportere. Sed inter omnia duo sunt, quæ haud possumus satis demirari. Inprimis etenim Buneum Tonsorem isthunc iuuenem & inexercitatum dissectorem aliquando rogabamus, anno nempe salutis 1571. cum ad medicinam faciendam vocati venissemus in Vinetum (quæ villa est sui quondam possessore domino clarissima, Regis Cācellario dignissimo, bono viro, piissimoque Hospitali) quanam id arte præstaret, industriaq;. An cutim primū diuidere solitus esset: deinde an hos vel illos potius Epigastrii musculos, postremoque Peritonęum, ipsumque tandem Vterū: an quæque hæc separatim scilicet, an vero simul vniuersa. Quæ nobis percontantibus, nec sine studio & admiratione, totus ipse obstupuit, obmutuitq;: cumque vrgeretur magis, fassus est is ingenue, nostras interrogatiunculas ænigmatum plenas sibi videri. Se securum tunc ab omni metu, ventrem fœtus granditate distentum quam maxime, non secus scalpro solitum diuidere, quam abscessuum aliud omne genus. Partes dissectas non re, nec verbo potuit vnquam rogatus discernere, & ne vllam quidem appellare.

Alterum nos non dissimiliter coniecit in admirationem, quod postquam vir eius muliercu-

lierculæ (vtrumque enim perplacuit conuenire) excessisset è viuis, cui nomen fuit Stephanus Massicault, & alteri se Petro Chanclon mulier iunxisset, non desierit concipere, nec vtero gestare, neque etiam legitimo tempore perfectum parere. Ergo quod tantopere visum insolens fuit summo artis dictatori, in vsum tandem trahetur, & consuetudinem: longe melioribus mulierculárum rebus, vt & permagno posteritatis commodo, hoc est, in securiorem pariéntium valetudinem, & auctiorem generis humani propagationem. Mauricius Cordæus Commen. 1. ad 1. libr. Hippocratis de Morb. mulieb. text. 11.

Quamuis historia hæc apud Auctorem nostrum secunda sit sectionis primæ cap. 4. cum tamen quædam scitu non indigna à Cordæo proponantur, addere eam placuit.

HISTORIA III.

CASPARO BAVHINO D. MEDICO IOAN. ALBOSIVS Medicus Gallus S.

GRATISSIMÆ mihi fuerunt tuæ literę (Doctor eruditissime) tum quod in ista solitudine (nisi spectatissimus tuus frater Iohannes Bauhinus, hisce tenebris illuxisset) mihi vna cum patria nostram artem abdicasse

casse viderer: tum quod isto veluti classico me adhuc nostro fulmine tempestatis Gallicæ attonitum, ad duellum & scribendi vicissitudinem prouocares. Quid vero mihi dulcius, quam veteris studii memoriam repetere, mellitissimoque tuo colloquio nostræ miserrimæ sortis ἀηδίας temperare, tædia demulcere, & temporis iniurias fallere? Agebam igitur animam, somno curisque sepultus, nisi tua Musa, quæ tot tantosque tibi liberos parturit, ab isto veterno excitasset. Quod autem aliorum studia cum tuis coniungis, facis id quidem non indecore. Sed si nostrum Lithopædion, quantulumcunque sit, in eam familiam adscribi desideras, propter spectaculi nouitatem, rogo vt nos admoneas primo quoque nuntio, vt, &c. Sed iã accipe (Doctor ectissime) quod excusso iam illo opusculo in nostra vicinia acciderit, cuius hic etiam habemus testes locupletissimos. Agitur iam triennium, à quo Ioannes Iacotius, Chirurgus paganus, & ex media plebe in ora Altisiodorensi ad pagum D. Mauricio dicatum, vulgari nomine Tirouaille degens, me obuium, & ad alia nostra munia properantem inuitauit, vt parum à recta via deflectens, in proximum vicum (dictum Marry) diuerterem, vt miserrimæ mulierculæ consulerem, cui nuper fœtum

tum dissecto abdomine exenterasset. Ego vero plebei Chirurgunculi (vt hi sæpe in artis operibus experimenta quærunt, quouis dispendio) temeritate pertertitus, in rē præsentem venio, accersitis nobiscum nobili viro Domino de Vaulx Præfecto Altisiodorensi (Balljuum vocant) eiusque illustri vxore, nostri amantissimis, cum paupercula prope ad eorum Castellum habitaret. Fœtum tunc deprehendimus in cunis, alacriter se gerentem, sed vagientem, famisque impatientissimum, cum matercula inedia exhausta, dolore, febre, vigiliisq; confecta, peneq; exanimis, nihil de partu cogitaret. Abdomē interea matris detegere voluimus; in cuius parte dextra vulnus conspeximus, oblongū quidem, sed cuius labia adhuc subcruenta nulla alia γαςρορῥαφίᾳ coalescerent, quā decem assiculatum nexu, quæ punctim cuō post sectionem infixæ, adhuc hærerent. Tū vero & Matri & fœtui ita prospectum, vt vterq; sit etiam hodie superstes, Numinis benignitate potius, quam Chirurgi consilio & prudentia.

Paulo post id tempus noster Rossetus à me admonitus, nos conuenit, vt acceptis à nobis literis Chirurgum salutaret, cū multa in idem opus haberet ex auditu, alia vero pauca. At vero

Segnius

muliebrium, quibus (non attentata Vteri subsecti sutura) loco acuum Chirurgicarum, eo more tunc vsus est (idque velut persunctorie, & de eius, vt ait, salute ipse desperans) quo fieri solet in lagochilorum, aut labiorum colotomatis transadigens nimirum æreas fœminæi vsus aciculas per cutis solius diuisæ, & sibi è regione vicissim respondentia sectionis labra, eosque filo duplice cannatuno vtrinque transuersim reuocato æqualibus interuallis valido nodo stabiliens. Vnde fit vt sola Epigastrii cute, vastam herniam nunc tegente, manui & oculis se offerant varii intestinorum stercore, & flatibus distentorum gyri, non tamen citra leues quosdam colici doloris recursus, quando videlicet aut laboribus tum domesticis, tum ruralibus delassari, aut frigore tangi eam accidit, nullo vtentem in hernia tam vasta vel tegumento (quod omenti vice internas partes sola cute protectas foueat) vel subligaculo, quod easdem à lumbis tractu degrauante etiam dolentibus velut suspensas sustineat. Nono, decimo, & vndecimo diebus aciculæ sponte deciderunt, obductæ causa tunc cutis epigastrica cicatrice: quo tempore toto

ANNO Domin. 1580. die Pentecostes quamproxime muros Castelli presidis Alissiodorensis domini de Vaulx, in eodem vico de Vaulx, parœciæ Merry, regiunculæ dictæ La vallee d' Aillant, ita pepetit ferro obstetricante Antonia Dauid, vxor Sebastiani Barbe agricolæ, sectore Ioanne Iacotino barbitonsore vicino, nempe habitante haud ita procul apud viculum Sancti Mauricii Tyranreille. Eam adhuc lecto puerperili (nondum persanato vulnere) decumbẽtem ante me vix famæ credens inuiseret ex vicinia meus Albosius Senonum Aesculapius, historiæ eius patriæ satis locuples testis, quia per eius ad me literas audita, eodem ipse data opera ꝓficisci, Chirurgumq; in via assumendum mecum ducere volui, vt illam visitando, contrectando, percunctando, hunc de sui operis modo, artificio, veritate, interrogando, & ambos de singulis Symptomatis, ac successibus audiendo certius perdiscerem, quid in eo remedii necessarii genere sequendum, fugiendumq; maxime videatur. Is ergo Chirurgus, prudẽtior (vt decet) quam audacior, magisq; tum vsu peritus, tũ natura industrius, quam doctus, & (quod plurimi fieri solet) in susceptis periculosarum tum ægritudinum curationib. fortunatissimus, fœminam in parturitione

N iam

ANno Dom. 1582. Francisca Grignon, vxor Io. Chopardi agricolæ apud Ouynuillæ viculum, in Belsia Pithuuirca habitantis eo modo quo Nangenillana secta est, ab eodem Io. Luca tunc parum sobrio. Cui tūc bene poto si hoc non male successit, quid ei non est sperandum qui sobrius, & mentis compos arte duce eo accedet? Nunc autem ea viuit, & valet, familiam in vico Engenuillano (quo recenter emigrauit) vt prius curans.

HISTORIA V.

CASPARO BAVHINO IATROPHYSICO FRAN. SAGVYERIVS Medicus Gallus S.

TVAS accepi literas, suauissimas, & mihi gratissimas duplici nomine. Primum quod per eas certior sum redditus de tua bona valetudine: dein quod scripto confirmasti tuam erga me beneuolentiam, vtcunque prius viua voce declaratam, propter quam multum tibi debeo, nunquam, Deo iuuante, animum mutaturus. Cæterum quantum ad rem, de qua ad me scribis, attinet, dicam paucis, &c. Existimabam me reperturum inter alias historias Medicinales, quas apud me habeo, eam, quam tibi pollicitus sum, περὶ ὑστεροτομοτοκίας, sed falsus sum: relicta

est inter alia aduersaria, quæ domi meæ in Gallia omissa sunt. Quam primum autem sese offeret occasio, dabo operam, vt ad me integra deferatur, & tandem ad te. Memini quidem appellationis pagi & Chirurgi, in quo & per quem aduenit ille partus Cæsareus: memini & anni & mensis quo id accidit, sed nomen patris & matris memoria excidit. Pagus est in ducatu Burgundiæ, & vocatur Marsilli, non longe à Castro, dicto, Mons D. Ioannis. Chirurgus erat patria Beluensis, sed domicilio Arnetensis: Arnetum vero vrbs est distans ab Heduis decem milliaribus Italicis, nomen illius Antonius Robinus, sua arte maxime dignus. Annus agebatur post millesimum quingentesimum octuagesimum secundum, Aprili mense. Mulier per biduum fuerat grauiter excruciata, cum tamen iuuenis esset, & rustica, forti animo incisionem, quæ feliciter successit, passa est: fœtus non diu ab extractione vixit: mater mansit superstes. Non amplius possum ad te de hoc negotio scribere: si aliquando licuerit, parētum nomina mittam. Versionem tuam & menti Auctoris, & rei gestæ explicationi maxime conuenire, si quid valeo iudicio, autumo & tueor, atque propter eam multum tibi debere profiteor, linguæ Gallicæ ignaros, quod sit libri Rosseti

ſcti argumentum, cognitione omnibus digniſſimum, ſed præcipue Medicis & Chirurgis. Plura cum non ſuppetant, quæ ad te ſcribam, finem faciam huic Epiſtolæ, Deum Opt. Max. humiliter & ex animo rogãs, vt te diu arti Medicæ propagandæ & enucleandæ ſeruet incolumem. Vale vir clariſs. & tuum Saguyerium, qui te colit, diligit & obſeruat, amare perge. Monsbeligardi nonis Nouembr. Anno Domini 1586.

HISTORIA VI.

CONCVBINA Sacerdotis cuiuſdam in Zupfingen Heluetiæ pago Bremgartenſis ditionis, Barbara Fhirera nominata, tertio grauida, cum partui vicina eſſet, per octiduum pariendi conatus cũ maximis vteri cruciatibus perſenſit, neque tamen peperit, ſed exacto illo tempore, ceſſantibus conatibus, cum diu poſtea ægra permaneret, tandẽ in ventre illius, paulo ſupra vmbilicum veſica quædam nucis iuglandis magnitudine erupit, quæ cum illi maximos dolores per triduum cauſaret, tandem ipſa admodum rogante, à muliere quadam ſubula pertuſa, & diſrupta fuit. Qua adaperta, admodumque propter ventris tumorem dilatata, mox faſciculus fœtum continens apparuit, qui poſtquam à Chirurgo Iohanne Burgiſio

Bremgartenſi, deliberatione primum diligenti cum Obſtetricibus habita, approbantibus ſingulis, parte aliqua diſſectus eſſet, fœtus cubitus prominens, in conſpectum ſe dedit, quem cum forfice ad id parata arripuiſſet, integrum fœtum, ſed ſemiputridum artificioſe per foramen illud extraxit, nihil tunc grauius paſſa matre, niſi quod animo, dum fœtus extraheretur, parumper defecerat. Dein alio adhibito Chirurgo Brugenſi, Candela cerea accenſa, & foramini nonnihil indita, poſtea etiam manibus in abdominis cauitatem immiſſis, anne quid reſtaret, diligenter explorarunt: & cum nihil ſupereſſe deprehendiſſent, vulnus emplaſtris ligaturiſque curando, trium ſeptimanarum ſp[atio] integre conſolidarunt. Mulierque à partu recte & decenter, vti alias fieri ſolet, purgata, ab Anno 1582. quo hæc facta ſunt, ad Anni 1584. diem 24. Auguſti, quo extincta primum eſt, adhuc vixit, miſere tamen adflicta, quod ventrem faſciis inuolutum & ſuſpenſum ab eo tempore, quo hæc paſſa fuit, geſtare deinceps coacta fuerit.

Hiſtoriam hanc à clariſſimo viro D. FELICE PLATERO Archiatro, Collega meo honorando, accepi.

HISTORIA VII.

De

DE vulnere Vteri, ne id nobis effluat, literis (si placet) & posteritati quam primum tradatur, quod accepimus quidem ab alio, sed fide summa (quam tamen alioqui superare videatur) condigno Parisiensi Doctore: Albertus Faber ex Ruellio nepos perdoctus & coæqualis noster, cum maximis Reipublicæ temporibus, & valde iniquis, lares patrios deseruisset, cum multis eiusdem suæ sortis Anno 1569. externos secutus exercitus, Sacrumcæsarem tandem aliquando appulit, qui totam hanc morbi calamitatem suis (vt dicitur) oculis vidit. Eo namque cum venimus, iam perfecta morbi curatio fuit. Simplex veraque morbi narratio erat huiusmodi.

Mulier quædam rustica fœtum octomestrem gerens, dum ad forum vrbis Sacricæsaris mandasset se viæ, è ferocienti equo excussa in saxum prægrande, hoc est, eius angulum, ad vmbilici regionem impegit. Ea integrum à casu diem obmutuit, sensu motuque priuata. Perendie prehendit acuta febris eam, & comitata quidem sæuioribus symptomatibus. Namque animo liquit, vomuit, delirauit. Repurgatur interim Medicorum præscripto aliquoties, ac iterato sanguis detrahitur. Imperata sunt denique, quę sumpta admotaque æstum febrilem infrin-

 gerent,

HISTORIA VIII.

à Rosseto.

CVM excellentissima princeps hera nostra ANNA ESTENSIS dux Nemorica in suo Sabaudiæ Annisio ægrotans, me Anno Domini 1578. sibi medicaturum ex Francia illuc acciuisset, & ad se eodem euocari meo rogatu iussisset ex vicino Fabricio (Fauergium vocant) quandam Carlotam Grarauld, iam annosam Marci Seturi vxorem, cui iamdudum circumferebatur tecto per abdomen Vtero extracta fuisse puella viuens, quæ postea sexennalis peste interierat, nihil tamen tale ex ea tunc nobis verissimam historiam narrante audiuimus. Ea enim à Carolo Seturo mariti fratre, & Ioanne Præposito Chirurgis secta fuerat, anno Dom. 1558. in orificii vterini strictiore, quam vt illac naturaliter parere posset, penitima clausura: Phimosin oris vterini congenitam (primus enim erat partus) eamque mediocris angustiæ esse oportuit, nimirum per quam non prorsus strictissimam genitura virilis facile intromitti potuerat, sed ex qua postea fœtura auctior erumpere sponte, aut vi non potuit, nisi ferro diducta phimosis fuisset, idque dolore, vt ipsa dicebat, prorsus incredibili; ibi enim exquisitissimus

esse

loqui & moueri piget, corpus torpescit (qui affectus multis grauidarum familiares sunt) infirmior autem seipsa ab eo tempore visa est. Sed hoc annis euntibus, & multiplicis ab hinc foeturae, atque herniae restantis molestiae, ac lassitudini tribui debet, maxime cum ea infirmitas tunc potissimum eam fatiget, dum intestina in sinum illum delapsa sunt, quae vbi supina iacet, in suum locum redeunt, vt in ramicosis fit cute pannosa & rugosa remanente, quę prius distenta erat. Haec anno Domini 1573. diligenter obseruaui, & in aduersariis meis adnotaui. Vale.

Haec doctissimi Doctoris diligentissima obseruatio vna historia operis huius finem, herniae restantis facilem tollerantiam, & foetificationis secuturę integritatem explicat.

II.

VESICAE SECTIONEM NON ESSE LETHALEM, HISTORIIS quinq; comprobatur.

CVM Medicinae parens, Hippocrates libr. Aphoris. 6. aphoris. 18. dixerit,

Vesica

ctor, histor. sequente de hac Chirurgia bene mereri voluit. Eius ad me epistola hæc est.

Vxor villici cuiusdam, nomine Brodronii Exuperia, annorum 24. genere Dictanensis, domo Furneauilla vltra Montrenaldum, nō procul ab oppidulo Angla, iam pene appetente partu, rheumate quodam cum grauissimis doloribus corrupta fuit: nullis mox laboribus in pariendo apparentibus. Chirurgus enim eā primum triduo toto iis misere afflictam, sed ab hinc nullis tentatam affirmat. Totum autem corpus, maxime vero naturam illi intumuisse memorat, sic, vt in summum vitæ discrimen adducta fuisset, nisi protinus necessitate ita imperante, fuisset ei opitulatus. Imperitiæ ergo cuiusdam obstetricis se nihil promouere, videntis suasu, se barbitonsorculo Angliansi Leodogario Paruo secandam, partumq; suum extrahendum præbuit, quod se alia ratione parere, ac liberari posse diffideret, dubiam spem certę desperationi præferens. Sectione igitur secundum corporis longitudinem aliquodammodo ad sinistram inclinante, ad vteri vsque penetralia scalpro adacto, fœtus cum suo inuolucro inde euulsus est, aquis magno impetu inde erumpentibus; vixit horas plus minus quinquaginta. Quo facto Chirurgulus ille membranam interiorem,

& sum-

tentia Hippocratis loquitur) sed qualis est ventriculi & intestinorum subalbida (qua de re fusius, volente Deo, in libro 2. nostræ Anatomes, cuius liber primus iam prodiit) tatione cuius vulnus coalescere posse dicimus. Et licet Fallopius tract. de Vulner. abdominis, capite 20. testetur, se vesicam, quæ pillula plumbea erat perforata, sanatam vidisse: tamen historiis id comprobemus, quod propositum nostrum existit.

HISTORIA I.

ANNO 1558. cum Hispaniarum Rex Philippus Regi Galliæ bellum intulisset, duo nobiles ex Marchia, qui eius militiæ socii erant, & stipêdia sub Rege Philippo merebantur, cum iam in itinere cum aliis compluribus essent, forte fortuna coorta inter ipsos dissentione congrediuntur. In quo certamine is, cui à Kalckreut nomen est, alterum Conradum à Bernheim infestissime adoriens, bombardæ ictu petit. Verum globus crumenæ lamina ex chalybe obductæ, in qua ictus pulueris & pilarum gerebat, casu illisus à latere eius resiliit, & palmi infra vmbilicum spatio intra corpus penetrans, vesicam homini traiicit, in eadem subsidês, impetu eius ex primo afflictu fracto. Hoc accepto ictu, equo decidit, & à Satellitibus

sublevatus, Lipsiam ad Chirurgos extremis reducitur: qui dum vulnus ei obligant, animaduertunt vesicam sphærula sauciatam esse. Ibi desperantes obligato valedicunt, omni curationis studio abiecto: nemo enim tantum sibi sumere voluit, vt plagam vesicæ inflictam sanaret, quam ex Hippocratis Aphor. lib. 6. aphor. 18. insanabilem & mortiferam didicerant: cui tamen Galenus in Commentario supra eundem aduersatur. Sic igitur derelictus, omnique cura destitutus saucius, accitis Ministris suis, domum se reportari expetit, aut viuum, aut mortuum. Quod cum facerent Satellites, & iam Torgam Lipsia aduexissent, æger cupidus vitæ, Chirurgum oppidi peritissimum Leonhardum Vvolcium, & me quoque precibus accersit. At primum rem omnem vt accidisset, prolixe nobis recenset: deinde gemebundus opem nostram implorans, obsecrare se ait, vt desertum ab omnibus nostra beneuolentia complecteremur, & curandum susciperemus. Chirurgus itaque laxatis ligamentis, & cognito vulneris periculo, mox vitam simul atque curationem denegat desperato. Tandem mea intercessione motus, cum pollicerer meam quoque operam, ac fidem coniunctурum, suscipit, & religat summo studio. Ibi tum hebdomadas vndecim vri-

ita non canalem perfluxit ordinatum, sed per plagam manauit: per eam autem omnis substantia cutis carnisque vstulata ab ictu erat, eique materies quædam glutinosa ex acredine lotii, sanieque circumcirca adhærescens, in lapidis soliditatem obduruerat: ita tamen vt vrinæ meatus de die in diem exiguus pateret, qua stillaret, donec elapsis quinque ab ictu septimanis, substantia ea vstulata, putredine sensim laxata, vna cũ calculo accreto, à Chirurgo instrumento extracta fuit, & vrina iam immediate vulnus permanauit. Porro substantia soluta & exempta, ambustæ & lecæ admodum cuti persimilis erat, duarum stipularum crassitie, digiti transuersi latitudine, lapidosam eam materiam ambiens, qua vrina exitum habuerat: quæ quidem tophos, qui in thermis congelantur, fere superabat firmitate, colore cinereo, tactu aspera, vt è grossis arenulis conglutinata. Sic igitur ampliato meatu, & purgata vesica, liberataque à reliquis sordibus, calculis, viscositate, sanie, & aliis, quæ de globo bombardico, lotii, acrimonia consumpto supererant, & officium vesicæ obstruxerant, vulnus sanati rite (DEO auxiliante) cœpit: idque tam breui tempore penitus adeo coaluit, vt nec ambulanti, nec equitanti, nec

cum vecto, impedimento molestiæ esset. Post hæc vxorem duxit nobilis, & in hūc vsque diem valetudine est commoda & firma.

Historiam hanc habet Ioan. Kentmannus, libello de Calculis in corpore humano repertis, cap. 11. quem Conradus Gesnerus (cui historiam hanc annis sex post curationem communicauit) edidit.

HISTORIA II.

IN Gallia Narbonensi cum essem, circa annum 1555. accidit, dum spectacula ederentur, atque inter reliqua Taurus cum Leone certaret, vt cum Tauro fugienti Heluetius Tigurinus Regis Nauarræi Satelles se opponeret, ab eo cornibus petitus, altero in pectine circa regionem vesicæ intruso, penitus transuersim perfoderetur, atque vrina in lumborum regione emanaret: qui tamē Chirurgi Monspessulensis opera sanatus, sine omni incommodo diu postea superuixit. Quo exemplo, vti & aliis edocti, ea vesicę vulnera, quæ in carnosa illius parte accidunt, vel alia quoque, vbi caro illi contigua est, qua accrescente occludi & callo obduci possunt, eadem ratione sanari posse nonnunquam statuimus.

Historia hæc à Clarissimo viro D. Felice Platero

Platero Archiatro mihi communicata fuit.

HISTORIA III.

ANNO 1581. Septembri mense, nautæ Griphsvvaldensi in Pomerania, cui Ioanni Iacobo nomen erat, culter in dextrū abdominis latus, quatuor transuersis digitis supra pudenda defixus fuit, ita vt toto triduo vrina non per vrethram, sed per vulnus effluxerit, qui tamen hoc pacto probe fuit percuratus.

Primo ergo Enhæmata applicita, dein vulnus, nullis tamen turundis propter vesicæ metum inditis, sed linimento consolidante imposito, obligatum fuit: tum emplastrum cōueniens ex gummatibus & magnete confecto, superimpositum. Intrinsecus vero, quotidie bis haustus decoctionis Fabariæ, quæ apprime his vulneribus vtilis, propinatus. A calidis cibis abstinere, pauco potu contentum esse, & in lecto supinum se continere iussus. Hac cura v[illegible]s, triduo post vrina rursus per vrethram effluxit, & successiue penitus curatus, ita vt nec stillicidium vrinæ, aliudue symptoma molestum supervenerit.

A FELICE WIRTZIO, nunc nostrate Chirurgo.

moueretur, adeoque ventris distensione conatuque mingendi assiduo augeretur, & ad extremum vsq; periculum perueniisset, consilio nostro ad sectionem sarcitis, quā aliqua ratione causam huius suppressionis esse certis coniecturis statueramus, & quæ alioquin cum mole nimia in immensum excreuisset, auferenda erat, deuentum fuit. Ibi cum sectio in inguine (vt moris est) primum fieret, Lithotomusq; in separanda carnositate, quę eo vsque protensa erat, laboraret, casu vesicam illuç quoque nimia distensione ampliatam, productamque vulnerauit, atque vrina maximo impetu in altum prosiliit, subitoque æger omni molestia liberatus est. Postea vero teste illius lateris exsecto, sarcitim successiuę mensis fere spatio amputauit: vrina interim continuo, vna cum frequenti arenularum copia per vulnus emanāte, nec per penem nisi guttatim extillante. Tandem vulnere sanato, fistula in inguinis regione remansit, per quam immisso cathetere breui, quem continuo gestat, vrinam iam toto biennio, incolumis alioquin, reddit, neque per Penem amplius emingit.

Huic sectioni Clarissimus vir Felix Platerus mecum adstitit.

HISTORIA VI.

cet ab eo fasce membranis, quib. offi pectinis adnectitur, adducta secum colli Vterini parte non exigua. Sic igitur cum affecta parte cognito etiam affectu, ducta satis lata incisione in ipso Vesicę pendentis corpore, vndecim calculi inde exempti sunt, triangulares omnes, quorum nonnulli paruas pilas palmarias, quidam castaneas magnas, & mediocres æquabant, cum numerosis arenis, quos omnes vidi, & tractaui. Sic igitur repulsa cum Vtero Vesica, quo mẽse toto decubuit, sede sua constitit. Surgenti autem relapsa est: nempe laxari iamdudum consuetis eius appendiculis, & solito stercorum durissimorum pondere pessum euntibus. Atqui vel sic habita, non segniter tamen negotia domestica hospitalaris per quinquennium postea versabat, subligaculo ad id idoneo vtens.

III.

EXEMPLVM VTERI CVM FOETV PVTREFACTI.

Fœtus mortuus quatuor mensibus retentus, viuente matre.

SARTORIS Basiliensis vxor, Chatarina Frechin, annorum circiter triginta, quæ

O 5 quater

quater prius pepererat, quinto grauida facta, cum iam pariendi tempus instaret, atq; in ipso labore fœtus quandam conuolutionem, leuesque aliquot pariendi conatus sentiret, tandem iis omnibus cessantibus, rursum ad se rediit, ita vt licet plerunque se in lecto & hypocausto ob imbecillitatem quandam contineret, nullis tamen agitaretur doloribus, idque mensium decem spatio. Quo tempore intermedio, cum an grauida esset, ex eo quod supra vteri gestationis tempus tamdiu superstes maneret mulier, nec grauiora pateretur accidentia, in quæstionem veniret, & de mola, alioue aliquo tumore inter Obstetrices consultaretur, tādem consilio meo habito (licet eam viuam non viderim) de fœtu mortuo pronunciaui; exhibitisque medicamentis fœtum propellentibus, menses primum promoui: quibus fluentibus, adeo leuata fuit, vt tribus inde septimanis cibum sine fastidio sumeret, ambularet, & in publicum quoque sine molestia prodiret: postmodum denuo rogatus, pessaria subieci, vnde mox chorda vmbilicalis propendere cœpit: quæ tamen cum putris esset, tandem amissa fuit. Verum cum nullus sequeretur abortus, nullusque esset omnino fœtum excludendi conatus, vt is promoueretur, mulier quædam ventrem

illi

illi variis modis aliquoties compressit, deorsumque impulit. Quo facto, fluor vterinus, in quo putris, alba, fœtidissimaque materia ex vtero profluebat, subortus est, quo octo septimanarum spatio perseuerante, accedéte interim febre, corpus adeo contabuit, vt nihil præter durissimum tumorem è transuerso vmbilici in ventre amplius emineret, ac demum viginti septimanarum spatio supra decimum mensem, quo vterum gestarat, tempore exacto, exspiraret. Rogatus vt corpus aperirem, primo ventris intuitu, vesicas geminas liuidas in latere vmbilici, vbi tumor durus, inęqualis adhuc transuersim eminebat, deprehendi: quibus leui negotio, cum tenuissimæ essent, disruptis, statim vertebræ ipsius fœtus, vna cum scapulis & costis obuiæ erant. Transuersim enim collocatus & supinus, dorso inflexo, vti in orbem conuolutus iacebat, versus exteriora prominebat. Qui exemptus diductusq;, adeo putris erat, vt præter cutem & ossa, quæ tamen leui negotio dissoluebantur, & quod fœmella erat, nihil alias liceret, vel fœtor immensus fineret cognoscere. Hoc saltem manifestum erat, transuersum illius situm, atq; eximiam magnitudinē, quam longitudo illius, & capitis amplitudo, prolixis admodū capillis iā ornata, declarabant, impedimēto

fuisse,

fuiſſe, quo minus in partu prodire potuerit. Sicque retentum viginti ſeptimanarum ſpatio, cõputruiſſe, & ſimul vicinas partes vndique infeciſſe. Cum vniuerſus vterus vna cum inuolucris & omenti portione aliqua, muſculisque epigaſtrii illius loci deſiderarentur, totaque illa regio pure, fœtore & nigredine infecta eſſent, & ad extimam vſque cutem, vbi veſicæ apparuerant lueſcentes, corrupta. Quo in loco, ſi ſectio ante extremam illam viſcerum corruptionem facta fuiſſet, fœtus exími, matre fortaſſis ſuperſtite manente, potuiſſet.

Hiſtoriam hanc communicauit Cl. Felix Platerus: ſed & egomet oſſa cranii capillis ornata, poſt aliquot dies adhuc ſumme fœtentia, licet diligenter abluta forent, vidi.

IV.

EXEMPLA XIX. VTERI, VEL EX PROCIDENTIA, VEL GANGRÆNA, vel aliter vitiati, totius citra valetudinem exſecti.

HISTORIA I.

MVLTI, abſceſſu in aliqua vitæ neceſſaria parte oborto, præter opinionem conſanuerunt, cum & iecoris fibram, & omenti

menti partem, peritonæique & totam vuluam subinde redemptam fuisse, nec mortẽ inde subsecutam, memoriæ prodatur. Ægineta lib. 6. cap. 88.

HISTORIA II.

SI processu temporis id quod prolapsum est, putredinem fuerit expertũ, idipsum auferetur, nullius metu periculi. Etenim vulua vniuersa ablata, vbi computruerat, mulierem superuixisse cõmemorant. Idem lib. 3. cap. 72.

HISTORIA III.

SI pars prolapsa temporis progressu per negligentiam computruerit, & ex assidua vrinæ irrigatione, & adhærentibus sordibus exulcerata fuerit, auferatur citra vllius periculi formidinem. Narrant enim, totum vterum putrefactum aliquando ablatum esse, & mulierem nihilominus superuixisse. Ætius Tetrab. 4. Serm. 4. cap. 76.

HISTORIA IV.

RECORDATI fuerunt quidam Medici, quod aliquando putrefiunt ligamenta matricis omnia, & exit matrix omnino, & permanet mulier absque matrice, & viuit sine diminutione aliquarum suarum operationum

tionum. Et dixit mihi quidam amicus meus, de quo & eius veritate multum confido, q vidit mulierem, cui omnino matrix exiuetat, & remansit viua, faciendo omnes suas operationes naturales integre & perfecte: & sic esse debet absque dubio, cum non sit mẽbrum principale, nec aliquibus membris aliquas præstet vtilitates: nec præstat aliquod iuuamentum in conseruando vitam, nec inuentum fuit ad illud. Auenzoar lib. 2. tract. 5. cap. 4.

HISTORIA V.

VIDI vnam Papiæ, de qua dicebatur, quòd ab ea exierat tota matrix, secundũ partes putrefactas in diuersis temporibus, & superuixit per aliquot annos post, & erat ex nobili genere. Matth. de Gradibus Comment. ad cap. de Exitu & dispositionib. matricis, lib. 9. Rasis ad Almansorem.

HISTORIA VI.

VIDI mulierem Andreæ Salsitiæ, cuius matrix corrupta tota, emissa est, & vixit postea multis annis, exercens negotia familiaria. Nicolaus Florentinus Serm. 6. tra. 3. cap. 16.

HISTORIA VII. IIX. & IX.

POTEST

POTEST vterus pati omne genus morbi, sæpe procidit, & totus potest extrahi à corpore, durante valetudine. Vnam matricem corruptam, ego vidi extrahi integre in terra Carpi à Genitore meo, quæ sanata est, & diu vixit. Ego etiam Bononiæ extraxi vnã aliam integre, quæ erat gangrænata, Anno 1507. mense Maio, quæ superuixit sana. Vnam aliam scilicet matricis receptaculum præcipitatum extra ventrem & corruptum, me præsente nepos meus ex fratre Damianus extraxit integre, & in cœtu Doctorum, & multorum Scholasticorum, Anno 1520. die 5. Octob. Ista vltima nomine Gentilis, erat vxor Christophori Brianti Mediolanensis, habitantis Bononiæ, quæ hora ista 1523.10. Iunij est sana, & exercet negôtia familiaria, & relatu ipsius & sui mariti, in coitu emittit semen, & habet menstrua temporibus debitis, res notatu digna. Carpus in Isagoge anatomiæ.

Auctor noster paucis historias has, Sect. 4. cap. 5. hist. 5. attingit.

HISTORIA X.

VIDI matricem mulieri Bononiensi, cũ mola trusatili, hordeum & id genus frumenta degluberet, elapsam, & cucurbitæ instar inflatam, Carpum Chirurgum, me coope-

adeo graue est. Christ. à Vega, Com. ad aph. 18. lib. 8. Hippocratis.

HISTORIA XIII.

NOS cuidam fœminæ ætatis annorum triginta quatuor, vterum putrefactum abscindere præcepimus, decem ab hinc annis, quæ adhuc viuit. Idem libr. 5. cap. 10. Artis Medicinalis.

Historiam hanc Auctor noster Sect. 4. cap. 5. hist. 4. etiam habet.

HISTORIA XIV.

MVLIERI cuidam fere trigenariæ sanæ menstruali, & bene famatæ cóceptionis signa paulo post secundas nuptias, quas anno 1571. contraxit, cùm ex priore matrimonio prolem nullam concepisset, apparuerunt. Progressu temporis obortus est ad partes imas & pudenda, ponderis sensus, dolore & vrinæ retentione adeo molestus, vt Christophoro Mombeo Chirurgo vicino suo, in suburbiis S. Germani commoranti, patefacere se infortuniumque suum, coacta fuerit. Is viso tumore in perinæo, fotu & cataplasmatibus anodynis & remollientibus, dolorem sedauit: sed mox ad pudendi labrum interius vomica, velut ab abscessu rupto apparuit, sanie subrubra, citrina &

pallida, multo tempore manans. Interim haud euanescebat ponderis ille sensus, quin potius augebatur indies, ita vt ab anno 1573. ne se quidem in lecto in hoc illudve latus conuertere posset, nisi admota manu hypogastrio ad oneris leuamen: sed & tum quidem [illegible] globus, toto corpore & pondere suo sibi prouolui videbatur, in quodcunque latus decumberet, nec stans, nec sedens, alui excrementa reddere valebat, nisi pondere illo sursum manibus ad diaphragma sublato. Incessura vix crura promouere poterat, quasi sibi semper ex interfœmineo aliquid penderet, quod progressum remoraretur. Ex interuallis, vomica illa recludebatur, sanie solita manans: sed tum capitis, membrorumque omnium dolor, animi deliquia, fastidia, vomitus, suffocationes, miseram vrgebant, adeo vt ab empirica muliere persuasa, facile adducta fuerit, vt antimonium hauriret: cuius tanta fuit & tam effera vis, vt post multas cum multis torminibus vomitiones, & aquosas per aluum deiectiones, visus sit sibi anus procidere. Sed admonita à familiari quadam sua, cui se videndam crediderat, haud ab ano id procidere, sed à vulua, Anno Domini 1575. Chirurgus vocauit, me, Iacobum Guillemeau, & Antonium de Vieux, qui sibi auxilio afflictæ sanitati

 esse-

essemus. Expensa re tota, & diligenter animaduersa, communi consilio censuimus, id quod prociderat, extirpandum esse: quod atro colore, foetore, & aliis eiusmodi signis putridae ac corruptae rei argumenta manifesta praeberet. Ergo per duos dies sensim frustatim & sine dolore corpus extraximus, quod aduocatis Medicis, Alexio, Gaudino, Feureo, Violaneo, & nobis vteri corpus esse visum est. Cuius rei fidem fecere, vnus ex testiculis, qui integer extractus est, crassiorque item membrana reliqua ex mola, quae suppurata, rupto abscessu, sensim diffluxerat: reuulso omni eiusmodi corpore melius aegra habere coepit: & tamen ante extirpationem nouem totos dies vrina suppressa fuerat. Dehinc omnia sibi, naturae suae, & stato cursui reddita sunt, totumque trimestre sana, & egregie incolumis mulier superuixit, donec suborta repente pleuritide, interiit. Dissecta à me & sedulo singula exquirenti, nusquam comparuit vterus, sed eius loco callosum quoddam corpus, quod natura, quae nunquam in nobis otiatur, iacturam eius partis quasi reparatura, vel lacunam potius alui repletura, substituerat. Paraeus libr. de Hominis generat. cap. 41.

D. Iohanne Schenckio de Graffenberg, Friburgensi Medico, ex magno suo Obseruat. opere, transmissæ fuere.

HISTORIA XIX.

VXOR Cantoris Iaurauiensis (Silesiæ vrbs est) gracili admodum corpore, naturæ biliosæ, nonnihil ad melancholiam declinans, in partu ab Obstetrice quadam inclementius, quam par est, tractata, cum graui & acuto vteri dolore, vinculorum eundẽ sustinentium, vel ruptorum, vel luxatorum, saltem causa, structuræ vitium passa est: ideoque post partum aliquoties vteri substantiam, in pudendi sinum, non extra tamen eundem sibi prolabi sensit, eoque plus, quo plus oneri alicui subleuãdo eniteretur. Hoc malo per annos aliquot durante, neque in peius, nec melius vergente, bis prægnans facta, difficilius quam antea peperit. Et paulo post domum scopis mundãs, mensa quadam onusta sublata, vteri corpus magna cũ molestia extra sinum ipsi prolapsum est: quod tamen fomentis decentibus calefaciendo, molliter loco suo ipsa restituit: licet postea leui momento rursus exciderit. Hinc menses primũ inordinate fluere, vterus male affici, nonnunquam suffocari, caput scotomiam pati cœpit. Subsequẽte assiduo flu-

xu albæ & atris materiæ, itemque sanguinis interdum corrupti, & in grumos collecti. Et cum parum obtemperaret, in mali principio Medicis, in peius omnia ruere, atque ex fœdi odoris materiæ effluxu, doloreque loci eiusdem continui, vlceris maligni, vel apostematis suspicio oriri, quod & euentus testatus est. Nam postquam vterus sæpius hoc modo excideret, vt vrinæ vias aliquando omnino præcluderet, ægrotantique grauissima symptomata inueheret: quamuis manu prudentioris Obstetricis aliquoties suo loco restitueretur: attamen perforatus tandem, atque inuersus esse, ante pubis orificium dependens, & copia vrinæ impletus, deprehensus est. Idcirco meo consilio leuiter compressus, vrinam exceptam per foramen, proculdubio ex corrosione factum, reuomuit; adeò vt inuerti rursus & subleuari melius, inque sinum pudendi rursus inferi potuerit: quamuis pristino suo loco restitui ob dolorem nequiret. Spatio igitur vnius mensis malo hoc ter quaterue recurrente, dictoq; modo vrina expressa; vniuersus deniq; vteri interior venter, totus corruptus & lacer excidit, intollerabili fere fœtore dependens, quem nullo prorsus sensu præditum, vtpote partem emortuam, & gangrenosam; Obstetricem excindere vnde & vsq; quaq; iussi.

iussi. Locum vero affectum, vapore odoratarum herbarum & seminum decoctorum foueri, à quo etiamsi meliuscule habere cœperit, vrinamq; liberius emiserit, quid tamē postea factum sit, discedens non resciui.

Historiam hanc D. Christoph. Rumbaum Medicus Iaurauiēsis, mihi (cū apud nos summum in arte titulū assumeret) cōmunicauit.

HISTORIA VTERI PRÆcipitati, & gangrænam iam patientis, catharcticis consumpti à Roseto.

VTERVM medicamentis deterentibus consumi posse, ratio dictat, & exempla probant, quod Blesiæ à docto sed industrio (si quis alius nunc fuit) Chirurgo Maupasio, & à Carolo magno eius socero feliciter antehac præstitum fuit, vt ex communibus illorum diariis diligenter didici.

Blesiā venerat ex oppidulo Chasteaurenault dicto, q̄dā primi illic nominis Matrona, cui iamdudum ppendulā matricem gestāti, ea ob æstatis ardorē ita incaluerat, vt tādē liuida, ac fœtens in gangrænā tota oppu-trescceret, eiusq; bona pars spōte frustulatim excideret. Quod vero ex illa adhuc viuum & sanū superat, metu depascēētis cōtagiū à mortuo ac putri separatum excedente medicamēto fuit, atq; ita deterso eo q̄ iuxta viuum

Anno Dom. 1578. adhibitis quibusdam ex ea familia propinquioribus, mortuæ abdomen nouacula transfodimus, vnde nullus flatus erupit, qui agitata cerei accensi, admotiq; flamma Tympaniten argueret, nulla aquæ guttula, quæ Asciten proderet, toties accusatum. Ergo circumsectis quam longissime latissimeq; fieri potuit, & simul sublatis omnibus abdominis continentib. partibus, nullo viscerum aut intestinorum (vt moris est) desuper apparente, admiranda Vteri vastissimi moles, orbicularis, quoquo versum expansa, omnibus interaneis subter latentibus incumbens, nulli tamen vicinorum tot corporum præter naturam adhærens, in conspectum se mox obtulit, appendicibus, ligamentis, & radicibus duntaxat firmata suis, sed iisdem multo varioq; topho duratis, glandulosa congestione tumefactis, & ab incumbentis eius ponderis grauitate ad liuorem vsque proculcatis: qua de causa aliquanto ægrius ad latera, quam antrorsum manibus nostris moueri ea moles poterat. Quia vero nō nisi ea ablata spectandorum, quæ suberant corporum libera fiebat facultas, eo quod tanta esset, quantam vix duo brachia cōplecti possent; visum fuit ab imo eam resecare. Id ex arte facturis vt tota Vteri substātia integra seruaretur, necesse fuit cir-

vbiq; incolumem, nec vllo penitus ad latera tumore aut intra eius ſpaciū inane humorē occupatā cōpimus. Quocirca exẽptū, & pelui impoſitū enormē globū manib. prehendentes, eo figurauimus ſitu, quo in fœminæ viuētis & ſtātis ventre ſedebat. Tū ex cōfoſſa ad vnū digitū ꝓfunde, & vulnerata 4. digitis in longū parte eius anteriore (vbi extare videbatur tumor quidam ſubmollis) magna vis materiæ heterogeneæ, ex ſpōgioſo quodam vulneris cauo effundi cœpit, varie referens conſiſtentiā, & colorē mellis, terebinthinæ, butyri fuſi, pulticulæ coctæ, gypſitum molliti, tū durati, calcis humefactę, arenæ, capillorū, quorū omniū q̄dam mixta, q̄dam ſeparata videbātur, ſine vlla puris ex abſceſſibus manare ſoliti ſpecie, vel putredinis fœtore: & quo ad ima ꝓpius accedebatur incidēdo, eo ſpiſſiora cōtenta ſe offerebāt, in q̄ conſiſtentiā reliqs, ſupiorib. illis craſſiorem coiuiſſe ea oportebat, lōgiore ipſorum in iis locis infimis mora, q̄ in ſupioribus. Ab imo .n. hypogaſtrio tumor ille dudum incipiés, paulatim ad ſupiora ſuccreuerat, vnde ſumpta à principio nobis fuerat ratio ſtatuendi à ſitu & loco affectū fuiſſe vterū. Cæterū ſpiſſiora illa q̄ dixi, & inferi⁹ ſtabulātia corpora, partim ſupficiariæ eius corporis quaſi cuti adnexa, partim ſupfluis partib. illis ꝓfunde permixta erant, nō vnius omnia ſubſtantiæ,

coloris,

quod identidem vidi illam ad fontes medicatos ex consultantium consilio (cum nihil aliud possent) perægre proficiscentem, cum eius comitatu prosecutus.

ALTERA HISTORIA exigui sensus Vteri interioris, eo depulso foras.

ANNO Dom. M. D. LXIV. cuidam Prægentiç per septennium apud Remondum dominii Nemaurensis redemptorem ancillanti, & postea ætate iam grandiuscula in vxorem ductæ à Thoma quodã viculi laruillæ dicti vinitore, cum ægre (vt grandæuis primum nuptis accidit, aut forsitan imperitæ obstetricis culpa) peperisset, sic prolapsus est Vterus, vt cum restitui non posset, pendentem per duodecim annos eũ circumferret rubentem; pedalis longitudinis, crassitie pugno ter maiore, horrido aspectu, eo quod secum magnam partem intestini recti sibi retrorsum adhærentis, & connexi, atque colli vesicalis, sibi antrorsum contigui detraxisset, sic vt obliteratis, & secum cõfusis earum partium meatibus, stercora, lotia, flatus, vellet nollet semper exeũtia, non nisi per eam massam deponeret: quã licet sacculis ad id compositis exciperet, intollerabili tamen eorũ sordium fœtore coa-

cta,

materia diuersa est: aliqui enim ex sola cera: alii ex subere, cera tecto: alii ex ferro albo, cera obducto: alii ex argento, aut auro excauato conficiunt. Horum etiam figura diuersa existit: alii enim ouali, alii rotunda, alii ex rotunditate oblonga & obtusa, alii inæqualibus lateribus aut in angulos obtusos, alii forma cordis depressi efformant: sic aliqui perforatos, aliqui non item, effingunt. Verum diuersimode etiam induntur: alii enim ad alterum extremum funiculum alligant, quo cum lubet extrahere, possint: alii absq; funiculo intrudunt: ita tamen, vt cum volunt eximere possint: alii denique nunquam eximunt, vt sunt illa, quæ ad vteri capacitatem intruduntur. Et licet Auctores de iis, dum de vteri agunt procidentia, quædam proponant, attamen placet Pessaria, vel Circulos, quibus Pessariorum loco in vteri procidentia nostrates vtuntur, proponere.

PESSARIORVM FORMÆ.

NOSTRATES filum sumunt subtilissimum, quod delicate obuoluunt, globum ouali figura, ouo tamen paulò minorem, efformant, quem cera virginea obtegunt, ac in vteri collum indunt. Solet autem globus hic, dum menstruis laborant, elabi.

Alter-

PESSARIORVM loco in vteri procidentia, circulis aliquæ vti solent matronæ: quare circulorum formam à socru mea, P.M. (quæ in arte medica fuit versatissima) mihi communicatam; quibus in multis vsa est matronis, proponam.

Accipe radicem Vitis syluestris, & ex ea circulos rotundos, modo maiores, modo minores, pro certitis vteri magnitudine, paruitateue conficito: dein accipe Ceram virgineam q.s. cui adde Resinæ albæ, aut Terebinthinæ parum, liquefiant simul: tum Circulos prædictos huic ceræ resinæ mixtæ toties immergito, vsque dum crassiciem debitam acquirant.

Circulus talis in vteri collum inditur, qui si minor sit, quam oporteat, excidit: sin vero iustam habeat magnitudinem, sine vlla noxa remanet, nec facile elabitur: & melius est vt non eximatur, sed vt vsq; dum sponte excidat, relinquatur: quod si vero excidat, nec dum curata sit mulier, alius indendus erit.

Circulus alter.

IOHANNES BAVHINVS, Illustrissimi Principis Wirtembergici, &c. Archiater, frater meus Charissimus, ad procidentiam vteri Circulos ex filo argenteo rotundo cum furca trifida ex eadem materia parata, con-

Q fici-

fici curat. Hic sine vi in collum vteri intruditur, qui interdum facile, nisi educatur, hæret: sin vero à pondere vteri propellatur, fascia retinendus erit. Hactenus de Pessariis.

VI.

DE SVPERFOETATIONE.

SVmmvs Medicinæ dictator 5. Aphoris. 51. *Quæ vtere gerunt, iis os vteri comprimi*, dixit: & Galen. in Comment. *Si os vteri claudatur, conceptionis indicium statuit*. Hinc factum, vt pro confesso fuerit habitum, os vteri in prægnantibus non reserari, cum 14. de Vsu part. 3. Galenus dicat, à conceptu vsque ad tempus ipsius partus ita occlusum esse os vteri, vt ne quidem apex alicuius acus indi possit. Verum rationibus, quæ in hanc rem adduci possent, in præsens relictis, dicimus os vteri etiam in prægnantibus reserari: id ex eo liquet, quod mulieres etiam grauidæ sperma reiiciant: probatur quinetiam exemplis superfœtationis & molarum, quæ post fœtus conceptionem generantur: nec huic rei aduersatur Anatome, facile enim id fieri posse, ea nobis ostendit: secundina enim dicta tunica, vni tantum vteri parti adhæ-

adhæret, vt recte nobis Valuerda in sua proponit Anatome. Sed superfœtationum aliquot exempla proponamus, quæ rationes contrarium sentientium satis infringent. Verum Plinii verba, quę in hanc rem habet, afferamus, dein nouis historiis, Germanico sermone mihi communicatis, rem comprobemus.

Plinius libro 7. capite 11. Naturalis historiæ, inquit: Præter mulierem pauca animalia coitum nouere grauida: vnum quidem omnino, aut alterum superfœtat. Extat in monumentis etiam Medicorum, & quibus talia consectari curæ fuit, vno ab ortu duodecim puerperia egesta. Sed vbi paululum temporis inter duos conceptus intercessit, vterque perfertur: vt in Hercule & Iphiclo fratre eius apparuit: & in ea, quæ gemino partu, alterum marito similem, alterum adultero genuit. Item in Proconnesia ancilla, quæ eiusdem diei coitu, alterum Domino similem, alterum Procuratori eius. Et in alia, quę vnum iusto partu, quinque mẽsium alterum edidit. Rursus in alia, quæ septem mensium edito puerperio, insecutis mensibus geminos enixa est. Hactenus Plinius.

HISTORIA I.

ANte annos circiter triginta, Ioannis Pflieges, rustici vxor, in Rixheim, Suntgauiæ pago, duobus Basilea miliaribus, gemellos vtero gestauit, quorum primus iustũ post partum annum vnum superuixit: alter vero sex septimanis post fratrem suauissimã hanc primum aspexit lucem, qui non ita pridem adhuc (octo habens liberos) in viuis fuit.

HISTORIA II.

CHristiana Schlechtin, Michaelis Vogel, Prætoris pagi Böllickheimensis (duobus cum dimidio Basilea miliaribus) vxor, priori marito, cum quo decẽ habuerat liberos, defuncto; prędicto Prætori nupsit, & circa quinquagesimum circiter ætatis annum grauida facta est (postquã in vtroque matrimonio annis fuisset triginta.) Gestationis tempore completo, Anno 1575. Aprili mense, & quidem die Dominica, circa diem S. Georgio sacrum, doloribus partus corripitur, puellã feliciter, quæ postmodum Maria nominata, enititur, quæ dies solum quindecim superuixit. Finito puerperio, cum ad consueta properaret munia, septimanis quinque, & totidem diebus post primum partum, dum in vineis esset, nihil minus quam de altero partu cogitans, nouis dolori-

doloribus partus corripitur: quare domum reuersa, filium, qui patri factus est cognominis, enixa est. Post hunc partum, amplius vtero non gestauit: verum vt parentes, sic & filius, in hodiernum adhuc diem viuit.

HISTORIA III.

ANno Christi 1584. posteaquam vir nobilis, D. Philippus Ludouicus ab Hirshorn (cuius sedes fuit in Palatinatu, tribus ab Heidelberga miliaribus: in oppidulo, quod eiusdem nobilis viri nomen sibi védicat) rebus humanis exemptus esset, neque vllum post se hæredem reliquisset: vidua interim ipsius vterum ferente: statim ipsius defuncti agnati, & feudorum successores (vt qui vehementer dubitarent, ferretne masculum grauida vidua, an potius fœmellam) nō solum omne ius successionis feudorum, in omnem euentum, à feudorum dominis obtinuerant: verum etiā quia libenter plenam & fundamentalem notitiam omnium feudorum & redituum habuissent: ideo statim à morte prædicti nobilis, superstitem ipsius viduam, adhuc immaturam defuncti mariti mortem lugentem sua in domo opperuerunt: eique claues ad cryptas & cellas è lumbis, non sine vi & vehementia detraxerunt. Quæ res adeo miseram & tristem vi-

dum affecit, vt coniectis in verticem suum manibus, vociferari, & eiulare magis cœperit; vt quæ grauiter molesteque huiusmodi sententiam & agendi modum ferret. Quin etiam paucis interiectis diebus, tandem peperit, & quidem egregium puellum, sed mortuum, & caluaria carentem.

Cæterum cum agnati & hæredes defuncti Nobilis, ea de re certiores facti essent, persuaserunt sibi, suam ipsorum spem iam expletam, & ipsos sui compotes voti factos fuisse. Quare ius suum in vtenda, fruenda hæreditate feudorum persecuti sunt. Sed Deus Opt. Max. velut è saxo alium partum masculum, & paternorum bonorum hæredem viduæ illi mœstæ & desolatæ suscitauit, atq; donauit.

Etsi enim non ita pridem puellum enixa esset, tamen subtumida à partu remansit: nihil aliud suspicata, quam vel tumorē præter naturam, vel aliquem morbum in suo residere corpore. Id quod etiam aliquibus Medicis (quorum consilium separatim requisitum & auditum est) visum fuit. Causam enim morbi quiduis aliud existimarunt, quā quod ipsam grauidam adhuc esse, suspicarentur. Quare consilium ei dederunt, vt ad Thermas fontis acidi ad Rhenum (bey Elfal am Rhein) sese conferret. Ad quas illa

Thermas

Thermas, secuta ea in re Medicorum consilium, vt vidua mœsta & orba, vnica ancilla comitata, profecta est.

Verum enimuero vt tandem mense Iulio 1584. eo loci venit, ob Thermas: accidit, vt ibi inueniret Electoris Saxoniæ Augusti (qui paulo ante in fata concesserat) viduam: nec non alios, aliasq; Principes: qui ita loca preoccuparant, vt ipsamet in diuersorio locum manendi non inueniret: præsertim cum nemini notum esset, quæ, qualisue matrona foret, quæ vnica tãtum ancilla comitata venisset. Porro tandẽ eius loci Præfecto quænam esset, significans, & suum ei casum, qui non ita pridem acciderat, commemorans; ægre ab ipso hospitium ad sequentem noctem obtinuit.

At vero ea ipsa in nocte, cum iam decima ageretur hebdomada, à priori & proximo partu, Deus Opt. Max. ipsam & mœstam atque afflictam, & apud peregrinos, pulcherrima prole mascula, eaque viua ditauit. Id quod statim fando peruenit ad aures Illustr. Principum.

Et quidem ei Elector Moguntinus lautũ ac nobile puerperium instituit: defunctus vero Elector, eidem mille Thaleros dono dedit. Quin etiam omne ius hæreditariæ successionis & feudorum ab aliis repetitũ,

dum ordinarius esset Lugdunensium Medicus, & Chirurgis Anatomen demonstraret, in quadam puella vterum bipartitum, qualem canes habent, obseruauit: quod vt rem valde raram, doctissimis Medicis Lugdunẽsibus, ac multis aliis demonstrauit. Ea ergo de re, Anatomici, si mulierum corpora talia occurrant, cogitabunt, cuius nomine hoc proponere libuit.

Superfœtare alias solent hæ, quarum Vteri os, post primum conceptum non ita valde clauditur, vt libro de Superfœtatione HIPPOCRATES demonstrauit.



AD LECTOREM.

ETSI Auctor noster Historias quatuor, quæ apud Cornacem habentur, breuiter capite quarte sectionis quartæ attigerit: tamen cum multa, quæ & eleganter & planius rem explicant, à Cornace addantur, placuit hoc loco (cum non videretur æquum Rosseti orationem continuatam interrumpere) ipsius Auctoris verba subiungere: quibus subijciemus aliquot admiratione dignas ex nostra obseruatione Historias, non multum à proposito alienas.

MATTHIÆ CORNACIS PHILOSOPHI, ET MEDICI ROMANORVM REGIS PHYSICI,

historia gestationis fœtus mortui per annos plus quatuor: qui tandem opera, & consilio Medicorum ex vtero ita per aluum, Deo adiuuante exsectus est, & membratim exemptus, vt mater, vita permanens, integra restitueretur sanitati atq; post biennium denuo conciperet, vt secunda testatur Historia.

HISTORIA PRIMA.

ANNO Domini 1545. quædam conciuis Viennensis, nomine Margaretha, filia wolfgangi Karlinger ciuis Viennensis: vxor vero Georgii wolczer, hospitis eo tempore ad ædes Rubri Cancri appellatas Viennæ: postquā antea etiam enixa esset aliquos liberos, concepit anno ætatis suæ 25. omnia deniq; habuit signa felicis impregnationis: fœtum insuper temporis progressu sensit, ante festum D. Bar-

D. Bartholomæi eodem anno, valentem, & strenue sese mouentem, vsque ad festum D. Lucæ sacrum. Quo sane illi tempore superuenerunt partus dolores adeo vehementes, vt antea experta iam sæpius ipsa, iamiam se crederet enixuram. Statim igitur aduocari iussit matrem, & vnam ex suis sororibus: acciri etiam obstetricem. Quæ cum aduenisset, statim re animaduersa, iussit omnia ad manus esse parturienti necessaria, hæc verba adiiciens: Statim, Deo volente, puellum natum habebimus: & quemadmodum postea euentus comprobauit, vera vates extitit. Interea prægnans in sedem parturientium consedit, & cum instanter admodum à circumstantibus mulieribus admoneretur, vrgeretur etiam ab obstetrice, omnibus nisibus elaborauit ad pariendum: in quibus, heu, nimium vehementibus conatibus, fragor quidam increpuit satis sonorus: quiq; non temere argueret magnam vim vel fœtui, vel matri illatam fuisse, vel certe cōquassatum infantis caput in partes discessisse. Ab eo fragore viuacitas fœtus deprehendi amplius nullis argumentis potuit. Grauida inde maiorem in modum cœpit ęgrotare, ac propterea in lectulum suum reducta, & reposita est. Interim lac accurrens, quod parturientibus vsu venit, vbertim vbera repleuit.

uit, adeo vt ſtillatim etiam è papillis gliſcentibus coloſtra deflueret, ſpectantibus multis, & iis honeſtis, ac prudentibus mulieribus, quæ dies, noctesque aſſiſtentes, præſtolebantur felicem partum. Dum vero res ita protraheretur, ſemperque maior difficultas, minor vero ſpes eluceſceret, deliberatū eſt ab omnibus, quæ tum præſto erant, & itum in eam ſententiam, vt plures obſtetrices accerſerētur in rem præſentem, aliquod forte ſalubrius allaturæ conſilium. Sed ex harum etiam aduentu nil miſeræ adminiculi acceſſit: neque quicquam ab his in medium dici potuit, vel conſuli ſalutare, præterquam quod vna ex iis iudicatum habebat (& fortaſſe non male) rem nimis feſtinatam fuiſſe, os ſacrum nondum ſatis hiaſſe. Nihil itaque etiam tum effectum datum eſt, geſtansque Vterum mulier tandem per multas ſeptimanas grauiſſime decubuit, ventris tumore, duritie, fluxu qui ſuperuenerat, doloribus nihil remittentibus. Quæ omnia, continuæ deniq; corporis graues afflictiones, animi perculſiones ad ſummam deſperationem miſeram videbantur compellere, effeceruntq; vt ad tentanda omnia omnium conſilia animum aduerteret, ad vſurpandas omnium medelas doctorum & indoctorum, Chriſtianorum, & Iudæorum. Quæ tamen

ternis emplastrorũ adminiculis, aptio coaluit, posteaquã, vt videtur, colluuies humorum nociuorum abunde excreta esset, vel aliquãtisper pro necessitate euacuationis diminuta. Sed ꝙ efflictim obseruandum est, paulo post ann. Dom. 1549. mense Iun. cum scilicet multa putrida superfluitas omni conatu mox p naturam expellenda, iterũ collecta esset, natura denuo eodem consilio & via, proximo in loco, non ita procul à priore apertione distante, per ventrem iterum perrupit, & affatim eduxit necessario euacuandam purulentiam.

In hoc foraminulo exhibebatur omnium conspectui, & tactui os quoddam, quod euentus postea (resecta aluo, & matrice) comprobauit, infantis fibulam sinistri brachii fuisse. Durauit iterum hæc apertio eodem statu, & effluxu, cum magna fœminæ in vtero habentis virium prostratione, ad menses aliquot. Cum autem periculi magnitudo, dolorum, fœtorisque intolerantia indies magis ac magis ingrauescerent, viderenturq; omnia ad interitũ spectare, ipsaq; miserrima p̃ cruciatibus immẽsis, animi crebris deliquiis iamiã crederet sibi exitũ imminere, denuo iniit consiliũ ascicẽdi medicos: si fortasse ex singulari Dei misericordia felix horula salubris consilii elucesceret: si denique

Deo

enda: à Chirurgis etiam in eădem itum sententiam. Quod cum certo cōstitutum esse, etiam fœminæ, eiusq; marito, & propinquis Medicorum consultum indicatum est, à quibus omnibus assensum. Statuta tandem dies est decima mensis Nouembris 1549. hora duodecima pomeridiana. Christi igitur Domini auspiciis, cum tempus statutum aduenisset, rebus rite auxiliaribus denique paratis, & dispositis præsidiis, si quid forte grauius contingeret presentibus Doctoribus nominatis, & Chirurgis, sectio cū summa diligentia peracta est: Linea autem sectionis ex mea designatione ducta est; ab apertione ea inchoata, (quæ paulo supra vmbilicum à natura, vt diximus, facta erat in latere dextro) recta deorsum p tractum musculi recti abdomini incumbentis, longitudine plus minus octo vnciarum: hoc est semipedis antiqui, & duorum pollicum. Qua facta incisione propter necessitatem, & intolerabilem fœtorem, subito contentum in vtero à Chirurgis vndique liberatum est, & exĕptus frustulatim fœtus masculus emortuus, & semiputridus. Secutus est hanc extractionem fœtor incredibilis: adeo enim putredo inualuerat, vt bona pars membrorum pueri consumpta appareret: caput vero totum confractum, & ossa cranii dispersa

tam. Quod tamen postremum, vt valde ex multis rationibus est ambiguum, ita incertum Diuinę Omnipotentiæ relinquimus determinandum.

HISTORIA II.

Quod eadem fœmina denuo conceperit, & gestauerit fœtum viuum, perfectum masculum, ad legitimum pariendi tempus: quodq́, exposthabita sectione mater, vna cum puello, interierit.

POSTEAQVAM superne à nobis descripta MARGARETHA, ex sanctissimi opificis Dei voluntate conualuisset, conuixisset denique sana marito annum plus minus integrum satis frugaliter, denuo concepit, & gestauit vtero puerum bene valentem, & rite succrescentem vsque ad secundum diem Mensis Iunii, ANNO DOMINI 1551. quod erat legitimum tempus pariendi. Ea dies cum mane illuxisset, & bello se haberent omnia, infans robustus strenue palpitauit, & elaborauit ad egressum vteri: mater mœsta omnibus neruis ad expellendum fœtum incubuit, præsentibus multis mulieribus, sed in cassum omnes conatus cessere. Quapropter

vocatus est Paulus Dirlewang, Chirurgus Viennensis, qui antea illam secuerat, vt in medium cõsuleret: ille vero præ oculis cernens graue discrimen, consuluit me etiam esse vocandum.

Adueniens itaq; & ego, cum perlustrassem ventrem enitentis, vidissemque fœtum validum, matrem autem omnibus viribus, quæ ad certamen enitendi requirebantur, destitutam: cicatricem præterea veterem quasi per rimam longam hiscere, omninoq; impossibile esse, vt conatus fœminæ tam lacero vtero, incisis per longum musculis, & abdomine, tanti esse possent, qui in vtero contentum, quantumuis viribus præstans, & sese adiutans, per os sacrum possent expellere: suasi è vestigio ventrem ferro, vt prius, resecandum esse. Firmauit meam opinionem & hoc, quod rimula sectionis pristinæ laxata pellucens madebat, & per se discessionem parietum cicatricis minitabatur. Hisce [illegible] urgentibus rationibus, nos vterq; compulsi, & commemoratione prioris felicis eiientus [illegible], sectionem iterum instituendam censuimus: acquiescebat consiliis nostris alioquin moritura puerpera.

Verum enimuero mater eius, & reliquæ aliquot præsentes fœminæ assentiri nullo pacto voluerunt: interim ego ordinatis quibusdam

busdam præsidiis confortantibus consolatus afflictam, discessi, & paulò post reuersus, acriter institi iterum peragendæ censuræ. Sed perperam tum obtinuit matris affectus, quæ cum cæteris fœminis in ea perseuerabat sententia, vt Deo omnia committerentur, reiecta periculosa sectione, quæ tum etiam satis tempestiue adhiberi posset, cum extremum anhelitum mater spiraret.

Expectatum igitur vsque ad horam decimam noctis, eo tempore infelix, cum frustra diu, & strenue luctata esset, viribus omnibus exhaustis, cruciatibus oppressa, animam exhalauit. Quod cum factum esset, subito Chirurgus prædictus vocatus est, & citissime ventrem aperuit: statimque infantem perfectum masculum, omnibus numeris absolutum exemit.

Ibi videre erat (superuenerant enim & ego) certamen adnitentium puello vitam, quæ paulo ante abierat, reuocare, & sufflando omnia tentare spiracula, sed perperam, & frustra omnia fiebant. In promptu causa est eruditis & Anatomiæ peritis: siquidem in confesso est, vitam & motum cordis in infante à duabus arteriis vitalibus matris p vmbilicum fœtui, ceu per insitionem, insertis dependere: quæ vasa natura fabricauit pro cordis refrigeratione. Quare cum arte-

riarum motus in matre cesset, earundem etiam motum eucstigio in infante cessare necessum est: siquidem fieri minime potest, vt puer ante præcisionem vmbilici, in ipso denique vtero inuolutus tunicis, spiritum per os attrahat.

Præterea esto quod continuatio vmbilici fœtus à matrice sit libera, ruptis cotyledonibus partus tempore: tamen nihilominus vmbilicus secundinæ adhæret, necessario ab obstetrice præcidendus: vel etiamsi à secundina, in vtero existente puello, vmbilicus solutus esset, tamen respirare per os non posset infans, panniculis inuolutus, vteri præterea parietib. inclusus, mucoribus deniq; & aquositatibus circumfusus: quæ certe res sæpe solutos infantes, hærentes tamen diutius in angustis faucibus ossis sacri, enecat suffocando.

Cùm ex prædictis itaque necessarium sit, vita & motu puerperarum cessante, cessare etiam infantis in vtero contenti vitam, & motum: impossibile est tam immediate excindi infantem posse, in eo ictu temporis, quo anima ex matre migrat: quæ si semel euolauerit, certe reuocari humanis præsidiis nullo modo potest. Si autem forte fortuna exemptio infantis contigerit in agone puerperæ, aut in animi deliquiis,

præscin-

præsentibus adhuc spiritibus vitalibus, tum censemus omnino superuiuere infantem posse, quemadmodum sine dubio de Iulio Cæsare contigit.

Hac de re lege præfationem nostram.

HISTORIA III.

De muliere, quæ annis tredecim in vtero gestauit Sceletum fœtus mortui, quod tactu, cum ab ipsa matre, tum ab omnibus illi præsentib. percipitur: scripta ad Matthiam Cornacem ab Aegidio Hertogio Medico.

CATHARINA quædam, vxor Michaelis de Menne, viri ruralis, & pauperis, annis duodecim vtero gerit fœtum mortuũ, vel potius Sceletum fœtus emortui; res penitus monstrosa, & miraculo digna dici potest. Ita tamen res se habet, sic vt ipso tactu vnicuiq; fuerit manifestissima.

Mulieris enim ventrem inferiorem propriis manibus attrectaui, non bis, terue sed pluries; idem quoq; mecum egere cum viri, tum mulieres illustrissimæ, non sine omniũ admiratione maxima, quos omnes honoris gratia præterimus. At vel vnius viri hac in re testimonium oculare sufficere poterit, puta excellentissimi D. Henrici Cornelii Mathisii, qui quondã Carolo. eius nominis Quinto Augusto Medicus fuit domesticus.

turientium dolores cùm in ventre inferiore, tum in lum bis sensit, statim acciri obstetricem & mulieres vicinas iubet, quæ dies, noctesque aliquot partum præstolabantur: nullum tamen partus breui futuri signum obseruat obstetrix, præter illos dolores, qui toto biduo increbescebant. Quare discedit, reuersura si ita res postularet. Quid multis? dolores nihil interim remittuntur, sed diebus totis quadraginta, & die & nocte illam sæuissime affligere non desinunt, vt totum id tempus misella ista insomnis egerit. Ab vtero quippiam interea effluxisse nunquam animaduersum fuit.

Fœtus vehementissime semper mouebatur, ac calcitrabat, ita vt manifeste illius motus ab astantibus obseruari posset: toto isto dolorum tempore sudoribus quoque copiosissimis madebat. Lac præterea è mamillis vberius fluebat; quod quia acrius, tũ plus iusto biliosum erat, omnes fere partes vicinæ, quas defluens attigit, exulcerabantur. Quadragesimo demũ secundo, & quarto dolorum die fœtus tã valide amplius moueri desiit. Dictu profecto mirum, φ tanto tempore subsistere potuerit incolumis: tandem conatu vehementissimo ita fœtus mouebatur, vt inde transuersim in vtero reuolutum, mater narraret. Dolores ab illo

impetu fœtus multo mitiores euasere, & paulo post plane recesserunt. Post vero dies quatuor vel sex cruenta quædam ac nigra per aluum deiicere cœpit, illis similia (vt illa inquit) excrementis, quæ pueruli iam in lucem editi primum excernere solent, cuiusmodi excrementa egerebat diebus singulis ad sex libras. Cumque antea nullus in vtero collisionis ossium sensus voluntarius perciperetur; hic tandem putans misella se ab omnibus ærumnis liberam, vnicuique tangenti vterum sese prodere cœpit; vt etiam illam non lateat ossium fœtus mortui situs, quippe cum digito monstret, hic caput, illic costas, hic humores, illic femora contineri. Quod ego & alii complures, me monitore, deprehenderunt.

Cadauer istud, ceu Sceletum in vtero matris iacet transuersim capite, & cruribus introrsum, dorso vero extrorsum prominente. Sub ilio dextro caput reconditur, quod cum profundius, quam matris spinam dorsi respiciat, non sine ratione tactus nostri iudicium refugit; ibi tamen ossis humeri caput superius contineri manifesto constat. Sub ilio sinistro sunt crura, & pedes: sed introrsum reflexi, vt attingi minime possint. Coniectura tamen artificiali; & Anatomica ita esse, iudicare non est

difficile

difficile, tum ex situ reliquo corporis, tum quia ibi os femoris apertissime deprehendatur. In medio ventre dorsum euidentissime cognoscitur, vertebraeque omnes facillime distinguuntur: Costae quoque maiori ex parte, tam superiores, quam inferiores dinumerantur: turget venter maternus tumore oblongo, qui in pudendum desinit: eleuat totam illam molem sursum, eandemque pro animi arbitrio deprimit, non sine astantium summa admiratione. Ossa vero sic satis indurasse sentiuntur, ita vt validiori compressioni difficulter cedere videantur. Venter maternus interea dum attrectatur, nullo dolore angitur, nisi id plus, quam par est fiat diutius.

Valet sic satis illa mulier, omniaque sua munia tam domi, quam in agris vna cum marito suo optime peragit: hilaris est, prudens materfamilias, & vtcunque faceta, annum nunc temporis agens quadragesimum quintum. Corpore gracili, nec habitu illaudabili. Menses cum annis quatuor essent detenti, potiunculis nonnullis, illos promouentibus, visa rursum manare coeperunt in hunc vsque diem. At mensibus singulis cum eorum terminus instat, venter inferior intumescit,

illam

illamq; dolores inuadunt vehementissimi, haud aliter q̃ si nunc nunc esset enixura: nec antea cessant ni menses omnino eruperint. Quod si mulierem aliquo malo laborare contingat, iisdem plane doloribus, ad integrum morbi terminum corripitur.

Aliud præterea notatu dignum refert, quintum nunc esse annum, ex quo natura quodammodo istius Sceleti expulsionẽ tentarit. Vteri enim osculum hiasse, & inde aliquot ossicula fuisse egressa: qua de causa è vestigio accersitur obstetrix, ac cum satis imperita, vel potius rei nouitate perculsa, nullũ remediũ ferre se posse indicaret, omni ope humana hanc multis modis longe infelicissimam destituens, recessit. Ipsa vero interim nihilominus intrepido, fortiq; animo, ossicula illa, vt in proprium locum retrocederent, propriis manibus allaborauit, sic vt in pristinum redierint. Ab isto vero, vti nec antea huiusmodi quid sinistri illi accidit.

Mirum denique quantopere rustica illa flagitet, summisque precibus contendat, vt abdomen ei manu medica aperiatur, Sceletumq; ab vtero eximatur. Sic enim seipsam sanitati pristinæ restitui posse confidit optime. At quo minus id tentatum hactenus sit, adhuc sub iudice lis est.

HISTO-

HISTORIA IV.

De fœtus mortui gestatione, ab Achille P. Gassaro Medico, ad D. Matthiam Cornacem missa.

NON absimilis tuæ Viennensis illius historiæ ante annos plus minus viginti sex, apud nos quoq; contigit in comitatu Feldkirchiensi, qui immediate Serenissimo nostro D. Regi attinet. Nam muliercula quædam, cui à mariti familia Pflegerin cognomen erat, quęq; in pago Gettzig sub arce Montis fortis tum habitabat, vere impręgnata ad decimum vsq; mensem, satis incolumis pro sua conditione sibi visa est. Ac instante tandem partus tempore, iusti dolores, nec non humorum excretiones consuetæ, præsentibus & agnatis, & obstetrice, nulla abortus suspicione innata, per aliquot horas illam debito exagitarunt modo.

Cum autem in cassum diutius laborare videretur, astantes vicinæ ad fortius enitendum subinde illam adhortatæ sunt: imo pro sua ruditate tam incessanter ægram ad cogendum accelerandumq; partum impulerant, ac miseram mulierculam ad eiusmodi animi deliquia, tamq; crebras syncopas sua ista importunitate adegerunt, vt non solum fœtus, inscijs illis, suffocatus sit, sed & mater

etiam

etiam euidenter de vita periclitaretur: idque defectu Medicorum omnium in tertium, aut forte plures vsque dies factitatum est, donec commiserantibus cunctis ægra illa soli naturæ, & Diuinæ clementiæ, tanquam omnino desperata relinqueretur; ac veluti omni momento moribunda offulis, ac gallinarum iusculis per interualla refocillata solum sit. Et sic misera illa per reliquum puerperii spatium vtcunque curata, paulatim dolores remittere, menstruorum tamen fluxum perseuerare sensit; &, quæ est Omnipotentis ineffabilis bonitas, nullius medicinæ beneficio post aliquot septimanas indies magis ac magis habere melius cœpit: donec & muliebre profluuium cessarit, & dolores magna ex parte euanuerint: adeo vt illa domesticis negotiis iterum qualicunque valetudine præesse sategerit, ac decrescente insuper nonnihil vteri mole, cuncta sibi prospera ad integrum fere annum repromiserit. Quo tamen non plene euoluto, tumor quidam particularium in sinistra inferioris ventris parte, paulo supra inguina apparere de nouo cœpit: qui dum quotidie augeri, & demum etiam dolorem apostematosum, cum cutis liuore, superinducere pergeret, ibi mulier illa de fœtu nihil

ampli-

amplius sollicita, Chirurgi auxilium inuocauit primum. Is fuit Magister NICOLAVS CLÆSI, ciuis Feldkirchiensis, suæ artis peritissimus: qui sæpissime quoque strenuissimi quondam militis, MARCI PSITTACI ab Emis castra tam in Vngariam, quam in Italiam non infeliciter secutus est.

Is inquam vigentibus tum accidentibus, quæ generationem p[illegible]tis concomitari solent, [illegible] ingenti [illegible]ssitate abscessum illu[illegible] ad humani capitis magnitudinem [illegible]scentem, omnino detumefacta aluo, [illegible]ouacula decussatim, vt in fungorum apertione vsus obtinet, discidit, quo facto tanta fœtidissime virulentię copia effluxisse fertur, vt præsentium nullus, nedum ægrota mulier, aut ipsemet Chirurgus facile sufferre potuerit. Nihilominus tamen vlcus illud sordidissimum præfatus Chirurgus mundificare, & abstergere pro more non destitit: quousque intra pauculos dies semiputrida quoque ac corrosa ossicula vna cum pure exire cœperunt. Quæ cum is remittentibus indies tum dolore, tum fœtore, vnde nam in ventrem, concauitaté nimirum exossem, peruenissent, stupidus miraretur: en tandem erumpentibus integris tibiarum ossibus, posterioribusque

calua-

caluariæ fragmentis, manifesto deprehendit, ea ipsa reliquias esse fœtus illius, quem mulier ea ante annũm peperisse debebat. Vnde vehemẽtiore admiratione captus, decoctiones, loturas & vnguenta qua potuit solertia pro vlceris profundissimi mundificatione, exiccationeque semper adhibuit. Donec illud, fœmina nil vltra conquerente, per sese ad consolidationẽ properare animaduertit. Ibi cicatrisationi, quam vocant, inuigilás, mulie[illegible]eam omnin[illegible] persanauit.

Quę p[illegible] hac plures superf[illegible]it annos, ac redeuntibus in ordinem n[illegible]em mẽstruis purgationibus, ni fallor, [illegible]eliciter postea quoq; viuum adhuc enixa puerum est.

Hæc Matthia doctissime, non relatione tantum aliorum recito, sed prænominatam mulierculam viuam & valentem, vna cum particulis ossiculorum prioris illius infantis sui coram vidi, & allocutus sum. Factaq; super prædicto negotio sufficienti inquisitione, non modo quæ iam ab aliis fide dignis hominibus perceperam, credere didici, verum etiam verisimillima esse, oculari demõstratione asserere possum. Nec dubito, quin tota ea regio, si opus sit, testimonium abunde narrationi huic perhibitura sit. Hactenus ex Cornace.

HISTO

HISTORIA V.
à Rosseto.

DOMINVS Regius, Reginæ nostræ archiatros, & è Montispellulanæ Academiæ consuetudine hactenus mihi mutuo amore cõiunctissimus, de cuius celebri fama, spectatissima fide, doctrina, & longo felicium artis operum vsu nemo apud Gallos dubitat, sacrosanctę in celebri aliquot medicorum, Chirurgorumq; regiorum & nobiliũ virorum conuentu nobis affirmauit, hanc inter aliquot memorabiles suas curationes therapism a imitabilem ei contigisse, circa annum Dom. M. D. LXV. cuidam fœminæ annorum 23. in regiuncula Turonensis agri Behemon dicta morandi, cum esset grauida, nec parere potuisset, quamuis bene habita, valensq; videretur, contigit, vt fœtus in vtero enecti, ibiq; retenti partes molliores per pudenda diu deuoluerentur, ossibus (quæ illis mensium nouem spacio retenta fuerãt) in dies egredientibus è matrice vlcerata, perfusaq; versus intestina, & tamẽ in epigastrio tumorem abscessumque subesse præ se ferẽtibus, qui tandem à Cyreto Turonensi Chirurgo cum latiuscule apertus fuisset, aliqui vna cum pure congestorum capillorum hapsi & ossa cadauerculi magna ex parte ca-

Narrauit mihi, fide data, se anno 1575. circa festum Iohannis, cum esset messis, & summe caleret, bibisse ex scaturigine fontis in syluula, Bruderholtz dicta, qui locus quarta parte miliaris Basilea distat, vbi suspicatur bibisse se sperma serpentum; paruo eii. m tempore post potum aquæ cœpit venter augeri: tribus dein mensibus post grauida reddita, vna cum fœtu aucti etiam serpentes: tantam vero in molem abdomen excreuit, vt fascia vti cogeretur ad gestationem ventris. Dum ieiuna esset, sentiebat morsus & punctiones circa regionem ventriculi: cibo vero sumpto melius habebat, munia etiam commode obibat, ver solo lactis desiderio tenebatur, & etiã vtebatur.

Cum vero iam tempus adesset partus, tribus diebus ante partum à cibo plane abhorruit, ita vt nec lac, nec minimum alterius alimenti assumeret. Monuit tum ipsa, vt quamprimum foret fœtus exclusus supponeretur orca lacte repleta: de serpentibus enim, vel de vermibus apud ipsam esse suspicionem, idq; partim propter morsus, partim propter mirabilem motum, quem toto anno persenserat.

Quare feliciter puerulum enixa, cum quo copiosissimi ichores, quos aquas vocant, effluxere: dein cum ad secundinas

exclusionem se præpararet, orcæ rum cum lacte supposita, prodiit serpens: vnde mulieres parturienti astantes, perterritæ, arrepto puero secessere: quare & ipsa puerpera timore perculsa, eleuato capite, non solũ serpentem vidit, sed & alterum prodeuntem non solum persensit, sed etiam obseruauit.

Puer paruulus erat, ita emaciatus, vt vix ossibus hæreret, viuax tamen: foramen habebat in ceruice tantæ magnitudinis, vt facile nux indi posset, quod sanefactum puto tribus iis diebus, quibus mater lacte abstinuerat, alias corpore toto absque noxa: hic annum vnum, & septimanas duodecim superuixit; tandem vero anno 77. cum apud nos pestis sæuiret, ea lue correptus obiit. Serpentes vero erant longitudine vlnæ, qui crassitie pene infantis brachium æquabant, maculis variegati: qui ita viui ab obstetrice fuere in cœmiterio S. Elisabethæ sepulti.

Iam ad matrem redeo: illa dimidio anno à partu corpore incuruato incessit; se enim erigens, dolores immensos, & in abdomine, & in dorso perferebat. Postmodum tamen ventrem semper habuit satis magnum, ac si vtero gestaret: sed & ab illo tempore quatuor habuit liberos. Ventriculo tamen hactenus imbecilli, cum dolore vteri.

Sesquiannus est ex quo alio symptomate fuit

fuit correpta: cum enim per septimanas 26. menstrua essent suppressa, venter indies augeretur, se tamen grauidam non esse certo sciret, cōsultis duobus, vt ipsamet mihi narrauit, grauidam esse pronunciarunt: ipsa ergo, cum tanto tempore viro caruisset, & hoc à veritate alienum esse nosset, proprium consilium secuta, stufam ingressa est, cucurbitulas sedecim affigi curat, & pedibus, & fœminibus, aliisque partibus corporis, sequenti die binas incidi venas, & copiose detrahi sanguinem curat: tertia postmodum die menstrua copiose cœpere fluere, sicque ventris tumor concidit. Verum dum hęc narraret, satis magnum adhuc habebat ventrem, qui aliquando augetur, aliquando concidit.

Quam historiam anno 1585. 14. Augusti rursus mihi in præsentia matronæ nobilis à Westhausen recensuit. Sed & testes esse possunt mulieres, quæ parienti adfuere, in primis vero obstetrix.

HISTORIA VI.

De altera muliere quæ se grauidam suspicata, Ranam, Bufonem, & Salamandræ speciem reiicit.

MVLIER rustica annorum circiter 24. ex pago dicto Nunige, prȩfecturȩ Gil-

penbergensis, ditionis Solothurensium, cum iam ab anno se grauidam suspicaretur, idque partim ob suppressa menstrua, partim vero ob motum aliquem, quem in sinistro latere diebus alternis persentiebat, accedente ventris quinetiam tumore. Et licet dolorem nullum perferret, perterrita tamen, eo quod ab anno se grauidam existimaret, quis futurus esset euentus dubitans me consuluit.

Signis vero ipsum conceptum indicantibus perpensis, & symptomatibus, quæ grauidis superuenire solent, perquisitis, iudicaui tum vteri solum flatus, vel saltem molam, si non sanguineam, at flatulentam esse. Cur vero Molã esse suspicarer (cuius signa multa Hippocrates tradit libro de Fœminarum morbis, circa finem) hæc fuit ratio: quod in multis iam mulieribus obseruauerim, dũ vtero molam gestant, vel vt nostrates vocant, ein Groß / toto fere gestationis tempore punctiones in sinistra abdominis parte persentiunt: imo quando tempus exclusionis accedit, summum dicti lateris dolorem perferunt, non secus, ac si animal quoddam ipsas morderet, imo etiam loco sæpe non mouetur: accedunt quinetiam animi deliquia, & aliquando deliria, rarius tamen ante diem septimum, ex quo fluere

incipi-

incipiunt menses, ipsas reiicere obseruaui.

Vteri flatus cur censerem, fuit: quod & prius in Nobili matrona quadam (cuius nomen nunc subticere placuit) notaui: quę cum grauidam se crederet, tempusq; ipsius partus appropinquaret, rebus omnibus ad id necessariis dispositis, nil nisi flatus per pudendum expirauit, & tumor ipsius ventris concidit; quemadmodum etiam adnotaui in quadam aquam per os vteri sensim effluxisse, cum à septem mensibus se grauidam suspicaretur, suppressis menstruis purgationibus, aucto ventre, & mammis. Sed ad rem.

Huic ergo rusticæ mulieri inter cætera Tragema præscripsi ex iis, quæ in tali casu conueniunt, habita potissimum ipsius vteri, & ventriculi ratione. Cum vero iam secundo sumpsisset de hoc Tragemate, altera die vesperi (q̃ fuit 15. Iulii, anni 1583.) in lecto iacens, vomitu correpta, tria reiecit animalia, Ranam, Bufonem, & Salamandram, quam Germani ein Mol appellant. sicque sensim tumor ventris remisit, & sanata est. Cuius rei testes sunt non solum illius Pagi, & in vicinia rustici, sed & arcis Præfectus.

Qua vero ratione serpentes prędicti, & hęc animalia genita sint, & generari possint, dicturus sum, si quando obseruationes meas

Medicinales edidero: Lubet tamen in præsens ad harum historiarum cõfirmationem quædam addere, quæ Ludouicus Duretus, Regius ante paucos annos apud Lutetianos professor, meusque præceptor.

Vidimus mulierem (inquit) quæ cũ nouem mensium spatio vterum gestasset, omnibus, quæ in legitimo partu euenire solent, mirifice respondentibus, tandem nihil aliud, præter animalia quædam, Ranis haud absimilia, cum multis purgationibus cruentis, & corruptis in lucem edidit.

HISTORIA VII.

De Hydrope Testiculorum Muliebrium.

ANNO 1588. Iunii 23. circa meridiem, Domina Sabina Schecfin, vxor Cl. viri D. Hectoris Vogelmanni, fato feliciter functa: posteaquam sedecim annis grauissimis morbis fuisset conflictata, inter quos fuit ante aliquot annos Hemierania, quæ aliquot annis singulo die septimo molestabat: conuulsionibus, quinetiam vt & febribus tertianis, aliisque morbis sæpius diuexata, perpetuo tamen de dextri lateris dolore cõquerens, & defluxionem existimans. Ego vero renem corruptum censebam, eo quod vrinas cruentas aliquando se habuisse referret; quinetiam pus per anum, & per collum matri-

matricis nonnunquam excreuerat, ſicut in vrinis pus interdum,& arenas craſſiores cō-ſpexi. A Venere multis annis & abhorruit, & propter dolorem abſtinuit.

A triennio cœpit omnino ſupra dorſum decūbere, à biennio nec ſtare nec ambulare poterat, dolores ingentes perferens, tumores magni in latere dextro: fluor puris & ſanguinis copioſus per aluum: aiebat ſe reijcere arenas per aluum: à multis menſibus condyloma magnum in ano, quod multos dolores pariebat, & enematum iniectionem, quibus tamen ſubleuabatur, impediebat. Intumuit venter non parum in dextro latere aliquot ante mortem ſeptimanis: tibiæ quinetiam valde intumuerant, præſertim dextra: tumebat etiam labrum dextrum pudendi. Pridie mortis difficultatem ſpirandi cum raucedine perſenſit: hora vna, aut altera, antequam expiraret, mortē præſenſit, vt etiam pridie ſe ſuffocaturam dicebat, mens ſana remanſit, donec in Domino obdormiuit.

Sequenti die ab obitu, cū Chirurgo Petro Borne, præſente marito, & D. Superintendente, hac ratione inſtitui ſectionem: Tumorem paracenteſis modo aperui, ex quo ſeroſi humoris menſuræ duæ, aut tres Baſilienſes, hoc eſt, ad nouem libras effluxere;

 educto

educto humore, decussatim aperui abdomen: eo aperto, comperi tumorem adhuc insignem in latere dextro, hærebam nonnihil dubius, qualis esset tumor, & qua in parte: quem non aperui, donec omnes partes diligenter inuestigarim, incipiens ab intestino recto: attrectaui etiam intestina omnia, vsque ad duodenum, & ventriculum, & rursum à ventriculo ad intestinum rectū manum deduxi: in intestinis & circa illa nihil præter naturam animaduerti, præter appendicem (quæ cæci intestini loco) tumori adhętentem, sine tamen vlla corruptione; omentum non habebat: in Mesenterio nullus scirrhus aut tumor: Ramus portæ Hæmorrhoidalis satis magnus. Ligato intestino recto, separaui omnia intestina vsque ad duodenum: deinde peruestigaui vasa spermatica, vtramq; arteriam reperi, & vtramque venam valde amplam. Perquisiui testiculos matricis, quorum dexter vix apparuit, quia ex eo prodibat tumor ingens, ex quo eduxeram per paracentesin copiam seri prædictam: tumor illę constabat ex tunica crassa, quæ externe adhærebat quibusdam locis parti dextræ peritonæi, intus rugosa erat, nullubi peruia: adhęrebat ei, versus internā partem, alter tumor insignis (quem postremo loco administrationis aperui) interne

terne etiam rugosa tunica sine exitu: circumcirca multi parui tumores, siue hydatides. Vas eiaculatorium valde tenue. In latere sinistro testiculus erat, magnitudinis fere Cotonei, summe inæqualis, qui scatebat hydatidibus multis magnis, & prolabebatur in capacitatem ossis sacri, relaxatis omnibus tunicis, videbatur comprimere, & vesicam, & intestinum rectum, fortassis ex eo erat dolor tantus, quem circa pubem sentiebat. Vas eiaculatorium extenuatum apparebat: circa matricem, & intestinum rectum, nullus alius tumor. His indagatis catheterem per collum vesicæ immisi, & stylum per vreteres. Tandem aperto osse pubis, vesicam aperui, in qua nihil & intus, & exterius contra naturam reperi, præter ruborem circa orificium vesicę, & in ea paucas arenas rubras crassiores.

Tandem intromisi digitum in collum matricis, ad tactum nihil extranei sensi; eo aperto comperi fistulas duas (non callosas) ad anum vergentes, ita vt excrementa tenuiora possent ad collum vteri peruenire, & in eis aliquid purulenti apparebat.

In sinubus matricis nihil præter naturam: matrix etiam suam naturalem proportionẽ habebat. In intestino recto nullus tumor, dempta

dempto condylomate externo. Vterque ren cum vreteribus optime habebant, sine vllis lapidibus, aut arenis, aut corruptione. Splen paruus, sanus, non adhærens peritonæo: circa eius vasa, duo veluti lapilli, vel potius velutí duæ cochleæ callosæ. Circa ventriculum nihil præter naturam. Hepar maximum albicans, non scirrhosum, nec putrefactũ, adhærens quibusdam locis diaphragmati. Folliculus fellis paruus, totus repletus gypsea dura materia alba, sine felle: porus ab Hepate ad duodenũm amplissimus, sine vlla obstructione.

Abdomine rite pervestigato, eleuato deinde sterno, pulmones consideraui, & thoracem, in cuius vtroq; latere multum seri. Pulmo sinister sanus, in cuius latere paruum lapillum reperi, qui aliquid inflammationis habere videbatur. Pulmo dexter quibusdam in locis adhęrebat tunicæ succingenti, & diaphragmati, non tamẽ multum tumebat, & inflammationem patiebatur: nulla putrefactio, aut putredo.

In cordis pericardio, non multum erat Ichoris, nec in ipso corde quicquam extranei animaduertimus. Verebamur in apertione abdominis fœtorem, & copiam puris, verum nullum persensimus, nec pus reperimus. Hanc historiam Iohannes Bauhinus

Illu-

Illuſtriſſimi Principis Wirtembergici Medicus ordinarius, Frater meus chariſſimus mihi communicauit: verum & ego ſæpiſſime ægrotę adſtiti, conſilioq; adfui.

HISTORIA IIX.

Fœtus mortui per pudendum instrumentis Chirurgicis extracti.

CVM in Epiſtola dedicatoria facta ſit mentio extractionis fœtus mortui per pudendum matris, qua in ſectione Iohann. Bauhinus frater chariſſimus cum felix ſit, ſubiicere placuit ex plurimis ſuis in eam rẽ hiſtoriis vnam ſolum, quam mihi roganti per literas communicauit.

Anno 1587. Octob. 26. cum eſſem in Illuſtriſſ. Principis mei arce Horburg, quæ iuxta Colmariam eſt, vocatus fui à cœna, poſt horam ſeptimã, ad iunioris mei principis Ludouici prius nutricem, Barbaram nomine, quæ doloribus partus diuexabatur. Hæc enim cum foret partu proxima, ſupputationumq; dies præteriiſſent, 23. huius menſis per ſcalas ſupra dorſum delapſa, vt fere in hipothymiam inciderit: die vigeſima quinta ante prandium, partus dolores perſentire cœpit: 26. vero auctis doloribus, & ruptis inuolucris, aquæ effuſæ, quo tempore vixiſſe ad-

ſe adhuc fœtum mulieres aſtãtes aſſerebant, quod ex motu apparente collegerint.

Dum vero adfui, licet à 7. vſque ad 12. noctis adſtiterim, nullum motum ſentire potui: dolores tamen, & conatus crebros, non fortes, & irritos pertulit. Sacculos ex lino in aqua coctos applicari iuſſi, & cõtinuo pubi admoueri, idq; ad partes emolliendas, & tumorem impediendũ: ipſa vero aliquando ſellæ inſidebat, interdum ſtabat. Obſtetrices bonum fœtus ſitum aſſerebant, caput & capillos ſe ſentire, ſæpius à me interrogatæ, aſſerebant.

Ego tandem videns illam fruſtra eniti & torqueri, iubeo in lectum recumbere, diſcedo rediturus cũ vocarent. Vocor poſt quartam, dolores non aderant magni: de dolore tantum lumborum conquerebatur, ex dolore delirabat. Obſtetrici iniungo vt humectatam manum in decocto lini, & inunctam butyro pudendo inſerat, & ſcrutetur, quo in ſtatu ſit fœtus, & an aliquid mutatũ: reſpondet, eſſe in eodem, quo præcedente fuerat die, ſtatu: ego tandem præparata manu, vti obſtetrix, eam admoui, comperio tumorẽ fere extra collum vteri, qui tangẽdo reſtitit, digitos molliter ſupra tumorem ducendo, nullos ſentio pilos, hinc malum coniicio ſitum fœtus, intrudo manum, vt perquiram:

compe-

cōperio partē mobilem in tumore, dubius hæreo, q̃ sit pars; paulo penitius perquirens, rumpitur ex impulso tunica amnios, & pfluit aliqd liquoris: ad tactū apparet manus, & vasa vmbilicalia: indico obstetricibus, eas deceptas eo tumore, & vt iterū admoueant manū: sed nihil trahant, educantur, mihi alia ratione pcedēdū. Quare iubeo ipsam supra marginē lecti sedere, & dein p transuersum in dorsum recūbere, pedes supra scamnum lecto admotū firmaret, q p duos tenerentur: supra corpus relinquo culcitram, supinduco linteū, vt nullæ partes apparerent, nec etiā q̃ ego manibus, aut obstetrix ageremus, quo honestius omnia tractarētur. His ita pactis, pfunde in vterū ptrusa manu ad mediā fere vlnā, pqsiui pedes alternatim, modo dextra, modo sinistra manu vtens: satis cōmode pedē vnū repio, paulatim attraho, alterū pqro, non possum inuenire, tandē fascia ligo pedē in ipso collo vteri: iubeo obstetricem paulatim trahere, dū iterū intrudā manū, & pquiram alterū pedē, ducens manū secundū crus fœtus: puenio ad podicē fœt⁹, intruso digito in podicē, traho paulatim, iterū pqro pedē, sed frustra: tādē paulo fortius podicē dextra manu traho, & sinistra ligamētū pedi annexū: res nōnihil succedit, postea inuenio pedē, quo repto victoriā cano, attraho paulatim,

eo educto, vtrumq; pedem obstetrici trado: iubeo vt lente trahat, ego manu dextra vterum dilato, & sursum rugas repello, tandem sequitur abdomen cum dorso, hęret deinde circa humeros, alterum brachiũ perquiro, & educo: iubeo obstetricem continuo modeste trahere, manu impedio, ne vterus ad collum pueri claudatur (quod fieret, nisi manus impediret) manũ in os pueri intrudo, & paulatim caput attraho.


Extracto toto fœtu, subito ne claudatur vterus (q in momẽto fit magno cũ periculo) intromissa manu ad mediũ fere cubitũ paulatim secundinam pquiro, ac sine vi (ne inuertatur vterus, vt euenisse opera malarum obstetricum vidi) eam leuiter integrã educo, sanguinem etiã grumosum, manu ducta p totam vteri capacitatẽ, extraho: subito retraho manum, & vt cõprimat crura iubeo, paulatim supra lectum retrahendã curo pudendis & abdomini cũ sacculis appono panem coctum in vino, & aqua, à somno impedio. & à vini potu, ac quietẽ iniungo, paulo post aliquid iusculi curo exhibendum, interdico ne nimium calefaciant hypocaustũ.

Operatio hæc feliciter fuit peracta intra horæ semis spatium: Deo Opt. Max. sit laus. Hactenus Historia, quam mihi I. h. Bauhinus, frater charissimus communicauit.


IN-

INSTRVMENTA, QVIBUS vtendum talia sunt.

Vncinorum extrahendo fœtui mortuo idoneorum delineatio.



CVLTELLI CVRVI RE-
scindendo puerulí in vtero abdomini
idonei forma.



PARERGA.

I.

INTESTINI CITRA *mortem vulnerati historia.*

CVM in Præfatione libri primi nostræ Anatomes, qui est de totius corporis humani partibus externis, polliciti ſimus, nos huic Opuſculo addituros inteſtini ſecti hiſtoriam, eam nunc referamus: hæc enim ſimul probabit Peritonæum læſum ſpaſmum non inducere: vulnera item muſculorum abdominis non eſſe lethalia. Res ergo ita ſe habet:

Adamus Brantz Ruſticus pagi Riehani, ditionis Baſilienſis, cum diu ἐντεροκήλῃ laboraſſet, tandem ſectionem pertulit, probeq; curatus fuit. Verum biennio poſt (annos circiter triginta natus) in eundē pene morbum incidit: ita tamen, vt non ſolum inteſtina, ſed & omentum delaberetur, idque, non vt prius, in ſcrotum, ſed ad latus inguinis ſiniſtri, tumor ex Peritonæo rupto obortus: quo cum morbo diu fuit conflictatus. Cum autem malum ingraueſceret, ab omnibus operib. abſtinere fuit coactus: quare quo ſe ſuſtentaret, ſtipem quærere eū oportuit. Dū ergo an. 1586. intenſiſſimo exi-

ſtente frigore oſtiatim ſtipem peteret, factum vt ex femoralium attritu, non ſolum cutis, ſed omnia cuti ſubiecta vſque ad omentum attererentur: hinc cũ malum iam ſphacelum minaretur, lecto ſe continere coactus fuit. Cum ergo lecto iam affixus eſſet, per patrem ſuum, pagique Præfectum & conſilium meum, & Lithotomi operam implorauit: & licet in Anatome publica (quæ in 13. diem à me fuit producta) tum eſſem, vt qui & ſectoris & præſidis múnere fungi ſoleam, occupatiſſimus: diem tamen illum, frigore ita concedente, ægroto, & miſero, & paupertimo tribuere volui.

Deductis ergo mecum in pagum ſtudioſis aliquot Medicinæ (inter quos fuere D. Iacob. Gregorii Pannonius, & Daniel Pyrnuſius Polonus, iuuenis, vt totius Medicinæ auidiſſimus, maxime vero in ſtudio tam Anatomico, quam Botanico diligentiſſimus, ideoq; mihi familiariſſimus, nunc Medicinę Doctores) vna cum Lithotomo, eiuſque comitibus ægrotum, eiuſque caſum inſpeximus: tum conſilium iniimus: & licet à ſectione, tãquam à caſu pene deplorato, abſtinendum eſſe conſultius duceremus, ægroti tamen precibus victi, cum Celſo, melius eſſe experiri anceps remedium, quã nullum, arbitrati ſumus.

Quare

Quare rei difficultate, quæ cum summo esset iuncta periculo, exposita, rem aggressus est Lithotomus. Tumoris exterior facies talis fuit.

Detecto Abdomine, in sinistro Hypogastrii latere, tumor infantis caput æquans, apparuit, cute cum subiectis partibus exulcerata: stylo ergo profunditatẽ sumus explorati, qui in ipsum abdominis cauitatem sine molestia vlla intrudebatur, & quidem pene absque omni ægroti sensu, vt qui vix stylum persentiret: quod sane argumento erat etiã Peritonæum ipsum læsum esse. Sed & pinguedo supra tumorem conspiciebatur, facileque stylo, sine vllo ægroti dolore amouebatur, quæ omentum esse satis ostendebat.

Re itaque, vt dictum, deliberata, ægrotus eo modo, quo solent ii, qui Herniæ causa inciduntur, primum tractatus, mox tabulæ superimpositus, ligatur: tum magnum in abdomen vulnus fuit inflictum. Quo facto, intestina prolapsa, quę reponere, sed irrito conatu tentauit: adeo enim flatibus erant distenta & omento annata, vt ne vix quidem manibus ab omento separari possent.

Cum ergo intestina quasi capta continerentur (eo modo quo solet fieri in iis, qui ruptura Peritonæi supra vmbilicum laborant, quibusque voluulus superuenit, cuius rei

apud nos etiam ante paucos annos habui-mus exemplum: qui tamen, magna Peritonæi adhibita sectione, probe curatus, in hodiernum adhuc diem viuit,) mihi Galeni auctoritas, & magna illa Peritonæi sectio ab antiquis vsurpata, in mentem venit. Galeni quidem auctoritas, qui magnitudinem vulneris musculorum abdominis periculosam non esse, satis ostendit, dum præcipit eiusmodi vulnera in toto abdomine esse dilatãda, si minora videantur, quam sufficiant repositioni intestinorum, aut omenti, si sint prolapsa, nec reponi possint. Magna vero Peritonæi sectio, cuius Galenus, Cornelius Celsus, & Paulus Ægineta, dum de Gastroraphia agunt, meminere: vbi monent, Peritonęi vulnus, si angustius sit, quam reponendis iis, quę extra abdomẽ prolapsa sunt, conueniat, ampliandum esse.

Quare subito vt Musculorum abdominis vulnus, & Peritonæi ruptura dilataretur, ne intestina diutius foris propendentia refrigerarentur, consultum visum fuit. Dilatato ergo vulnere (sine tamẽ magna hæmorrhagia) nec dũ intestina reponere potuit, quare cultello ab omenti & ad latera à Peritonæi membrana, cui erant adnata, ea separare oportuit, quod tamen sine læsione fieri non

non potuit: hinc factum, vt ex tenuibus intestinis vnum leuiter læderetur.

Hoc peracto, cum intestina ab omni fere omenti parte essent soluta, intestinumque læsum foret consutum, omnia in abdominis capacitatem fuere reposita, tum leui gastroraphia vulnus consutum: totaque hæc operatio absque vlla lipothymia fuit absoluta.

Vide cap. 23 tra. de Vulner. Fallop.

Cum postmodum excrementa non per aluum, sed per vulnus reiiceret, aliquoties clysmata ad aluum sollicitandam fuere iniecta: nunquam tamen clysma, licet larga manu decoctum fuisset administratum, ad vulnus peruenit, sed vt iniecta, ita etiam fuere reiecta.

Vulnus autem abdominis (non vero intestini, ne quidem in hodiernum diem) pene coaluit: fæcũ vero nihil omnino, etiamnum per anum reiicit, sed per ipsum intestini vulnus, quod circa vmbilici latus sinistrum remansit: verum dolorem nullum perfert, nec quando excrementa effluxura sunt, persentit: forti tamen ligatura vtitur, & difficilioribus rusticis operibus preesse non potest.

Causam quærentibus studiosis, cur, cum excrementa per vulnus reiiciantur, clysmata non etiam eo pertingant. Ad hoc respon-

ſum fuit, clyſmatum materiam ad inteſtina tenuia, meo quidem iudicio, naturaliter nō peruenire, quod & auctoritate & ratione probamus.

Clara eſt auctoritas Galeni 5. Meth. med. 11. quæ habet: *Superioribus inteſtinis vlceratis, vtendum eſſe medicamentis per os aſſumptis. Quod enim per ſedem iniicitur*, inquit Galenus, *ad ea quæ ſunt vicina ventriculo ſubire nequit.* Non minus perſpicua eiuſdem altera 13. Meth. med. 17. ſententia, vbi inquit: *Quæ per ſedem infuſa ſunt, ea omnino ad ieiunum vſq; aſcendere nequeunt, imo ſi admodum nitaris, fortaſſe tenue tantum inteſtinum contingent.*

Ratio vero à VALVVLA COLI INTESTINI deſumpta eſt, quæ id impedire poteſt: ſed cum de hac Valuula breuibus tantum in Præfatione libri 1. Anatomes noſtræ dictum fuerit, fuſius de ea nunc verba faciamus.

VALVVLA IN INTEſtino Colo, Anno 1579. à me reperta.

DVM Lutetiæ Pariſiorum ſtudiorū gratia verſarer, & inter cætera ſtudia priuatim in Anatomico ſtudio cum Clariſ. viro D. D. Thoma Coccio populari, me exercerem, contigit vt Anno 1579. dum inter cætera.

tera, quæ à me diſſecabantur, curioſius inteſtinorum ſtructuram rimarer, ea penitus à Meſenterio liberarim, & ad eorundem fibras & tunicas conſiderandas, abluerē, aqua modo per ieiunum, modo per rectum inteſtinum infuſa. Quod cum factitarem, aquā per ieiunum infuſam facile, & quam citiſſime elabi obſeruaui: per Rectum autem infuſam Colon inteſtinum non pertranſire, etiamſi inteſtinum leuiter comprimeretur. Quare, quidnam eo loci occurreret obſtaculi, perquirere lubuit.

Inueni ergo in Colo inteſtino, eo loci, vbi tenue inteſtinum, Ileon puta, finit, & appendix lumbricum referens, Cœcum quibuſdam dictum inteſtinum, apponitur, ad Coli nimirum principium, inſignem VALVVLAM, latitudine pene vnguem ipſius pollicis æquantem, craſſam, mēbranoſam, &c. Quod tanquam nouum, à nemine hactenus literis traditum, tum temporis multis, præſertim vero Clariſſimo viro D. D. Guilielmo Capello, Profeſſori Medico, & Præceptori meo humaniſſimo oſtendi.

Sed & hactenus in publicis Anatomiis Academiæ noſtræ, quib. multis annis nunc præfum, eius à me facta fuit mentio: maxime vero in duabus Anatomiis, quas anno 1586. adminiſtraui (poſteaquam à Succen-

turiato meo D. Daniele Pyrnufio mundata fuiffent inteftina) toti ampliffimo confeffui oculis fubieci, aqua & per fuperiora, & per inferiora infufa: eandem etiam palpandam exhibui. Eadem etiam inteftina, quo rectius eorum longitudinem (quæ 24. erat noftratium vlnarum) dimetirer, in iifdem Anatomiis folle infufflari curaui, tumque temporis ne quidem flatum Valuulam hanc pertranfire fuit obferuatum.

Cum vero dubius effem, anne in brutorum etiam inteftinis talis reperiretur Valuula, in ftudioforum Medicinæ gratiam, Canem, aliasque aliorum animalium partes, in quintum fecui diem: idque eius nomine, quo ea, quæ publice hactenus in Anatome, & quidem methodo fecandi docuiffem, ipforum oculis fubiicerem: eam etiam Valuulam in canis fectione inquirere vifum fuit.

Cum ergo inter plures doctiffimos & ftudiofiffimos, qui fectioni aftabant fpectatores, D. Antonius Boucardus Lotharingus, huius ftudii, vt & rei herbariæ curiofiff. mihique amiciff. hoc fibi laboris fumpfiffet, vt Canis inteftina mundaret, aqua tam per fuperiora, quam inferiora infufa, impleret, & inuerteret: eam etiam Valuulam ipfis oftendi, quæ tamen non Valuulæ humanæ,

fed

sed Circulo similis erat. Et hæc est Valuulæ huius inuentio, & inueniendi modus, qua in re prolixior fui, nō sane eius nomine, vt me esse inuentorem iactitarē, sed vt Lectori pateret quando fuerit inuenta, & quomodo inuenienda sit, cum sciam etiamnum Cl. viros eam & negare, & inuenire non posse.

Vsum huius Valuulæ quod attinet, eum esse arbitror, ne excrementa ex tenuibus intestinis ad crassa delata regurgitare possint: nec obstat id, quod sæpius mihi fuit obiectum, morbum nimirum Iliacum dictum, contrarium ostendere: quo probare nituntur, Valuulam hanc non omnem penitus viam intercipere. Sed quid rationib. opus est, cum αὐτοψία obiectionem soluat? & quod nihilominus Iliacus possit fieri morbus, nō negamus: tanta enim cum violentia morbus is accidit, vt non solum Valuula hæc cedere, sed etiam facile frangi possit, cum ipsa excrementa etiam pilorum, cui natura Circulum apposuit, referent. Sed de his & similibus in nostris libris Anatomicis, Deo iuuante, fusius sumus acturi.

HISTORIAE RAMICOSORVM SEctorum (quos vulgo captiuos aut Iliacos vocant) in Epigastrio & Peritonæo: quæ sectio Cæsarea difficilior, nec tamen lethalis: ex Francisco Rosseto.

En

EN tibi amicissime Lector, quod perinde ac nouum hoc nostrum pariendi artificium videri mirum poterit: vtpote nouum, à nemine forsitan scriptum, & paucis futurũ credibile, ab experientissimo tamen Cystotomo Florentio Vallensi in ptochodochio Dithuirii Belsici apud nostrates factũ haud ita nuper, Guillelmo Clarensaco Medico, & Astrologo insigni, & Ioa. Arsentio pharmacopola, Ambrosioque Nigro docto & experiente Chirurgo præsentibus.

Mendico insigniter ramicoso intestina excrementis & flatu distentissima, nec restitui, nec quicquam difflare aut egerere poterant, quod isti incarcerationem intestinalem vocant, præsentissimi, & atrocissimi tũ angoris, tum periculi symptoma. Doctus ille pro suo seculo, & ordine senex, interque suos collegas nominis facile primi circumforaneus Herniarum & calculi Machaon, moribundum fausta nouacula ab orco gratis reuocauit, pari & prope tanta cutis, musculorum, & peritonæi facta ad imum abdomen sectione, quantum in Cæsareis ducimus, & loco incommodiore. Is mihi postea familiaris factus, & eius curationis occasione de eo opere necessario mecum non indocte disserens, illud idem iam antea sæpe, & nunquam infeliciter se exequutum fuisse

affirma-

affirmauit, re ex tempore nata id exposcente. Hoc enim malum cum inuadit, tam velox & quasi præceps vrget remedium, vt vix è propinquo accersendi Chirurgi prius suppetat otium, quam is veniens moribundum ægrum offendat: quæ res ab vtroque opere suscipiendo quos non vel peritissimos, modo vt non imprudentissimos reuocet? Eius mortui filius suprascriptum Celsi chirurgema herniarium patris imitatione ex professo postea diu exercuit, hâc quoq; captiui intestini curationem semel atq; iterũ fauste æmulatus, vbi fotibus Chalasticis, aut aliter tentata reductio non processisset. Illi aperto superius quam tumoris incrementum circumscribebatur abdomine (sed inferiore, atq; dolentiore, & ob id periculosiore loco quam vbi nostras Cæsareas secamus) inde ad herniæ vsq; proruentis locum cautissime secabant cutim, musculos, peritonæum, moxq; diducta vetere ramicali ruptura intestinum intro cum vita iamiam alioqui euolatura restituebant, (vt præter testes prædictos, qui sectioni adfuerunt, is primum, deinde eius idem filius mihi, per otium recitauerunt) qua poterant (nempe communi) gastroraphia vtentes.

SECVNDA HISTORIA CAPTIVI
Intestini Chirurgica manu restituti.

SED quas eius generis duas historias fideliter accepi, non modo à Chirurgis qui secuerunt, & medicis qui præfuerunt, sed etiam ab herniosorum percuratorum familiaribus (nam ii longo post tempore aliis morbis interierunt) te audire velim. Quæ ab operantium tripode sum mutuatus, qualia à MAVPASIO sectore, eius ipsius manu scripta fuerunt Gallico idiomate, adnotatis tamen à me (vt fando accepi) quibusdam circumstantiis, ex ore CARLOMAGNI (qui sectionibus iis collega adfuit) quæ tyronibus præceptionum loco esse queant. Auctores mihi fuerunt ex Medicis, ALEXIS GANDINVS Reginæ nostræ archiatros: ex Chirurgis, CARLOMAGNVS, & IACOBVS BELLAII pater & filius Blesensium Chirurgorum primi, quibus eundem MAVPASIVM CARLOMAGNI generum doctum & industrium Chirurgum adiuuantibus, curatio vna atque altera sic processit.

ANNO DOM. 1559. medio circiter Maio cum Blesiæ FRANCISCVS quidam PRATENSIS annos natus XXX. caligarius sutor iamdudum antea herniosus, sub sole feruido palmaria pila diu multumque lusisset, longe maiorem grauioris quam antea herniæ molem in Oscheum subito ruere quæ-

re questus est: quam dum nec ipse situ, nec manu pro more restitueret, nec eo vt casti MAVPASIVS, & CARLOMAGNYS vlla resupinati sursum versum corporis figuratione, aut fotuum emollientium, resoluentium, discutientium ministerio, aut manus repellētis adminiculo reponere possent, eo tandem tanquam ad sacram anchoram (velut in rebus deploratis solet) ventum est, ALEXI GANDINO probante, vt extrema ferro tentarentur. Cum ergo intestinorum & omenti bona pars diducto vi peritonæo delapsa, scrotum ingens oppleuissent, tum ibi, tum ad inguen prætumidum tantus dolor (ob peritonæi ab intestinis deuolutis tensi, & intestinorum à Peritonæo & scroto compressorum violentiam) miserum cruciabat, vt febre inuadente, ructibusque & singultibus, (vt in voluulo) subortis cibi, flatus, stercoraque omnia vomitu semper, nulla autem deiectu vel spontaneo, vel imperato redderentur, sudore diaphoretico succedente, & pulsu, ac viribus iam fere prostratis. Qua vitę desperatione, & vxoris precaria flagitatione victi, ad salutis vix sperabilem portum ex desperationis occasione spectare

cœpe-

cœperunt. Ergo quę tunc oportuit ritu medico præfari, scamno (vt testicularijs sectoribus mos est) herniosum figurant, & quod ad inguen loco tumor eminebat, Maupasius incisuram nouacula duxit, incipiēs à quatuor supra os pubis digitis, ad eius vsque ossis regionem descendendo, & sensim eo vsque pertingendo, tamque alte paulatim penetrando, vt ventris subiectam cauitatem propius attingeret, vnice cauens ne quam intestini, aut alius interioris substantiæ partem offenderet. Vacuo igitur reperto (ruptū enim nec simpliciter laxatum fuisse peritonæum oportuit) & cautissime ęquata peritonæi diuisione cum superiore epigastrii diuisura, tunc manibus, & quibus leuissime fieri potuit adminiculis epiploon, & alia quędam cum cęco toto non pauca intestina, ex scroto paulatim subducta, in ventris cauum reposuerunt. At quia omentum fere totum corruptela ibi liuescebat, tantam eius præligati portionem secuerunt, quanta est duorum gallinæ ouorum moles, reliquum eius sicut filo erat constrictum vna cum intestinis intro retrudentes, quorum depressissima iam in sphacelum obnigruerant, ob immodicas scilicet compressionum fatigationes. Gastroraphicis quinque suturis ora vulneris iuncta fuerunt. Sed qua parte post

triduum

triduum suppurare vulnus cœpit, stercora cum pure nunc mollia, nunc duriuscula; nōnunquam in lōgum aut rotundum suffigurata copiose p interstitia vinculorum egerebantur: argumento manifesto iam tandem rupti insigniter eius intestini, quod gangræna tactum præuiderant. Eius cum pure stercoris eiectio, amplius sesquimense cum perdurauisset, tandemque cessauisset, quatuor deinde totis mensibus crocea in moré Rhabarbaricæ infusionis recrementa per vulnus defluxerunt. Vt ergo vlceri simul, & intestino medicina fieret, illi iniectionibus per inguen sauciatum, huic enematis per anum abluentibus, detergentibus, agglutinantibus, sic prospectum est, vt ambæ simul partes fuerint persanatæ. Ex eo enim nouem fere annos tā incolumis Blesiæ vixit, vt nullo hypozomate (quod tamen antea illi pernecessarium erat) vteretur, ne tunc quidem, cum vel pedes, vel eques quolibet itaret, vel toto sæpe die pila palmaria suo de more luderet: Hoc supra octennium temporis spatio bis ducta vxore, ex vtraq; liberos vtriusq; sexus suscepit, nullo ex tot malis superstite vestigio, præter exiguam ventriculi bradypepsiam, quam illi vt militi Galenico ob epiploi subsecti iacturam superfuisse oportet.

HISTORIA TERTIA

Chirurgicæ curationis in hernia Iliaca & Captivo intestino.

ANNO Dom. M.D.LI. cuidam Henrico de Monceaulx Blesiæ scripturã abecedariam pueros docenti, vetus hernia repentino delapsu tam periculose intumuerat, vt febre superueniente, cibi, stercorisq; vomitione succedēte, (ob deiectionem omnino cohibitam) dolore ad inguen, & distentum scrotum intolerabili, sudoribus vires exsoluentibus, pro moribundo haberetur. Eius vxoris & amicorum rogatu iidem cum eodem Medico Chirurgi illum suo (id est pari prorsus modo) sectum, non tamen simili per omnia medendi forma, & successu curauerunt, cum in ambobus paria non essent omnia. Licet enim huic Henrico vastius, quã illi Francisco hernia intumuisset, detrusis scilicet in scrotum cum toto fere epiploo longe pluribus intestinis (sic adeo vt tumor magnitudine caput æquaret) tamen incolumia merãt huic omnia, sic vt nec omentum in operatione subsecare, nec post operationem damnum rupti intestini resarcire fuerit opus. Quod leuioris noxæ beneficium licet Chirurgis magno ad celeriorem percurationem compendio, & ægrotanti Henrico pa-

eo pari (eatenus) lucro fuerit, hoc tamen ei quam Francisco (putre omentum, & intestina rupta haberi) deterius cessit, quod pristino ramici perpetiendo, & subligaculo veteri gestando non desiit (vt alter ille) esse obnoxius, licet vtriq; eadem gastroraphia administrata fuerit. Ergo cui vsui (inquies) ea Henrici sectio & laniena fuit, si remansit idē ramicosus? Nempe, vt sic vrgentiori malo promptius, imo vero necessario occurreretur, conclusis scilicet antea maiore cum cruciatu, & periculo intestinis simul cum omēto, in eo velut carcere, vbi mors præsentissima misero intentari iamiam apparebat. At inde seruatus diu postea vixit sospes & alacris.

II.

CORPVS SINE HEPATE & Liene inuentum.

ANNO Christi 1564. die vero 11. Septembris, hanc vitam reliquit Dominus Matthias Ortelius, Mercator oppidi Antuerpiensis celebris, natione Germanus. Duodecima vero facta fuit eius corporis sectio, à Chirurgis eius rei peritis, me præsente Medico, vt constitutionem partium nutritioni seruientium videremus, præcipue Hepatis & Lienis: nam aliquot

V 2 annis

PORTENTOSVM LITHOPÆDION,

SIVE

EMBRYVM IN VTERO materno per annos 28. contentum, petrefactum, & post matris mortem exsectum.

Adiecta leui & succincta exercitatione, eaq; Academica, de huius indurationis causis naturalibus.

AVCTORE

IOANN. ALBOSIO

Hæduo, apud Senonas Med.

Cui accessit

SIMONIS PROVANCHERII Medici Senonensis, & Francisci Rosseti de eadem re opinio.



V 4 IOHAN-

Medici, mea ipsius manu secuisse, & in eius corpore inuenisse, ac vidisse, quemadmodum præfati Medici testimonium asserit, in cuius rei fidem manu propria me subscripsi.

THOMAS COMAVS.

Historiam hanc Clarissimus vir D. D. Iohannes Iacobus Schifferus Medicus Augustanus, cum à Clarissimo viro D.D. Thobia Cneulino accepisset, mihi per literas communicauit.

F I N I S.





 292

In Iconem Lithopædii ἐξάστιχον IOAN. ALBOSII.

Finxit Deucalion saxis post terga repulsis,
Ex duro nostrum marmore molle genus.
Qui fit vt infantis, mutata sorte tenellum
Nunc corpus saxis proxima membra gerat?
Flectebat priscos diuina potentia mores
Nulla hodie flectas saxea colla iugo.

Iocus puerilis PETRI ALBOSII impubis ad Patrem obseruantissimum IOAN. ALBOSIVM Medicum, de eius Lithopædio.

Quæ noua progenies ista est? Irane Deorum
Nata mihi soror est, Gnataq; nata tibi?
Non agnosco tuos in duro marmore vultus,
Namq; pium, tenerum, molleq; pectus habes.
Degener huicq; animus nulla pietate parentem
Respicit, aut fratri est blandior illa suo.
Attamen arte tua (quæ virgo sepulta iaceret)
Viuit, & est hæres nominis vsq; tui.
Isti ergo inuideo sortem, nisi saxea moles
Et cedat fratri, cedat & illa patri.

De Lithopędio Senonensi, in Zoilum sui partus Cæsarei calumniatorem, FRANCISCVS ROSSETVS Medicus

VI0

mœdia κωφὸν πρόσωπον, *postularentq́, vt personam loquentem faceremus, & vtraque lingua, quo etiam ignaris linguæ Latinæ studeretur, & ad exteros quoq́. Portenti fama & forma, non sine aliquo vsu perueniret: parere, visum est æquissimum, tum quia foret piaculum tam portentosam rem silẽtio præterire, qua monemur nos* λιθοκαρδίοι *petere supplicibus votis à Deo, qui rerum omnium est prima causa efficiens, &* πρωτοπλάστης, *vt nobis det cor carneum, quod iam ad omne scelus occalluit: tum etiam vt nostra vrbecula, quæ suorũ stemmatis, virtute, & veteri gloria adhuc fulget, nouâ veluti præconis voce, toti Galliæ, imo & toti orbi, summi numinis ostenta promulget. Protypum autem efformauimus de nouo (quo sint* δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι *) vt te, quem latere nihil volumus, quasi in rem præsentem deduceremus, & infantulum, & in sinu vteri latentem, & suo tegmine explicitum, & in hanc & illam dimensionem, quantum cedere potuit corpusculi (per multas horas aceto macerati) durities, protensum conspiceres. Adiecimus etiam nudã*

Ad puellam in vtero materno lapidefactam SIMONIS PROVANCHERII Medici, Epigramma.

Cuius non esset suppressa memoria mortis
Quærenti, æternæ surgit origo duplex.
Per magna virtutis opus via prima docetur,
Ingens per vitium proxima deinde patet.
Has ego, nec plures, ineunti lumina vitæ
Credebam geminas constituisse Deum.
Nunc admitto nouam, qua tu mea filia viuis,
Vitæ expers: viuis, nec tibi vita fuit.

Aliud eiusdem.

Per genus & sexum viuas mea filia quantum
Est hominis, nunquid vita perennis erit?
Nam de plebe tuum genus est, es fœmina sexu
His viuas, breuis est vita futura tibi.
Pro mortis damno reddit te fama perennem,
Mortis quam vitæ, sors igitur melior.

ENAR-



ENARRATIO ΤΟΥ ΛΙΘΟΠΑΙΔΙΟΥ,

SEV

EMBRYI CVIVSDAM longa temporis mora in Matris vtero in saxeam duritiem concreti, quod ex gestantis cadauere extractum est, in vetusto Gallorum Senonum oppido 16. Maii, Anno 1582.

ADIECTA QVOQVE EST succincta & leuis quædam exercitatio, eaq; Problematica, de istius indurationis causis naturalibus, vt postea penes Lectorem sit huius iudicii summa.

HISTORIA EMBRYONIS petrefacti.

MVLIER Senonensis, nomine Columba Chatry, quæ Ludouico Carita homuncioni (quadrato tamẽ & bene habito) ex vulgari plebe & far-

& sartori vestiario nupserat, ab annis quadraginta octo, fracta ætate & valetudine, hic occubuit decimosexto mensis Maii, annum ætatis agens sexagesimum octauum.

Hæc ante annos viginti octo, quæ nunquam antea vterum gestarat, licet iampridē nupsisset (nihil de sanitate prius admodum conquesta) certissima habuit inchoati hominis indicia. Nam qui statis periodis erumpere solebāt menses, illi statim substiterunt. Pica primis mensibus laborauit, tempestiuū Embryonis motum & frequentem persensit, tumore lumborum & abdominis paulatim subcrescente, mammisque lacte turgentibus. Tandem autem decurso pene veræ gestationis curriculo, labores puerperii graues & abdominis dolores experiri incepit, vrina ad aliquot dies suppressa (Medicis tunc varia & dubia de illa κυοφορίᾳ sentientibus) quæ postea currente veluti alueo & magna vi erupit, profuso illo ichore, non tam ex vesicæ meatu, vt credibile est, scaturiente, quam ex mulieris locullis. Amnio tunica disrupta, cum vna cum istis serosis recrementis (quas mulierculæ aquas vocant) aliquis concreti sanguinis trumbus emerserit. Inde autem & mammæ concidere visæ sunt, motus infantis aut ignauus, aut nullus, labores mulieris tolerabiliores. Hipp aph. 38. lib. 5.

Quibus

Quibus omnibus attonitæ fuerunt Obstetrices, quæ antea certissimum puerperium expectassent.

A ludibrio autem istius fœturæ, totum triennium lectulo illa decubuit, ad extremã vitæ calcem de valetudine conquesta, de tumore, de duritie, de torminibus alui (quam obuiis quibusque & Chirurgis & Medicis tractandam exhibebat) de inutili & graui illo pondere, quod pro vario gestantis motu, modo in hanc, modo in illam partem procumbebat. Denique de languente & deprauata appetentia, quam subinde acetariis & absorpto omphacio sollicitabat, alioqui perpetuo ἄσιτος. Illamque ferunt vicinæ, inter suos sales sæpe dictitasse (vt erat genio satis lepido) se fœtum vtero gerere, qui tandem parenti foret exitio & internecioni, quanquam cum serio loqueretur, maleficium acceptum potius accusaret.

Postquam autem fato esset functa, eius vir officiosus in vxoris manes (quam tamdiu & tantopere excruciatam viderat) accersiuit vnum atque alterum ex nostris Chirurgis ambo valentes arte, & artis vsu, quibus (licet de scirrhoso tantum tumore cogitarent) dissecto mulieris abdomine, & reiecto infra peritonæo, vterus sese offert, aspectu quidẽ rugosus, & versicolor, vt crista illa pendula,

quæ

quæ Gallis Indicis ex summo capite piola-bitur, vel potiùs vt operimentum illud curaneum, quod illorum collum ambit. Tactu autem durus, testaceus & crassus, instar τῶν ὀστρακοδέρμων. Tum nouaculam in portentosam illam molem & gypseam iniiciunt, qua ad aciem cultelli renitente, scalprum altius adigunt. Eorum autem alter inflicto casu in crasicam vulnere, & in aliquot costas, tandē humerum dextrum impetit, à quo erumpēs ossis caput, certissimam fecit fidem ossium illic latitantiū. Ex quo scalpellum alio transferunt, & magna vi, sensim tamen, & recta, vterum secant, diductisque durissimis vulneris labris, infantē in orbem implicitum, & ex transuerso in vtero positum, introspiciunt in penitissimo sinu, & altissimis latebris stabulantem, in suamque veluti Cystin, quam Allantoidem tunicam fuisse puto, callosissimam reconditum.

Quo spectaculo inexpectato obstupefacti, Medicos conuocant, quos in re inaudita consulant, adhibeantque in testimonium & iudicium rei huius, quæ penè fidem omnem superet. Interea multis ad nouum prodigiū accurrentibus, & opus Chirurgorum interturbantibus, venit ipsis in mentem totam istam molē ex illo veluti antro & manibus, & vncis Chirurgicis, qua valerent, vi abstrahere vt arborem ex suo caudice, domumq;

cõportare, vt priuatim & apud se accuratius corpusculi anatomen sectarentur, & cum peritis de portento nouo & inaudito, consilia conferrent.

In præcipiti autem & violenta illa laniena non licuit opus festinantibus introspicere, quod substratum esset infantulo Chorion, quæ vteri acetabula, qualia vmbilici vasa, quis esset Allantoidis cum vtero & cum fœtu nexus, cum vterus ipse, præcipue ad coxã dextram, ad nares, & ad partem spinę dorsi cum cute infantuli omnino coaluisset.

Situs infantis erat pene sphæricus, facie ad thoracé affixa, sublatis ad nares genibus, vnde postea eæ patulæ retusæ & resimæ cõspectæ sunt. Ossa capitis tenuia quidem, sed firma, & instar cornu nitentia, cute capitis multis in locis pilosa, caput in sinistrum brachium ita procumbebat, vt à protuberante humero auris & os Occipitis impellerentur, quod incauatum ea parte introcessisse conspicerentur. Cubitus ad summũ humerum reflectebatur, porrecta sola manu, quæ in pugnum adeo firmiter contracta, & summi digiti ita palmæ hærebant, vt licet apparerent seriatim inter se distincti, re ipsa tamẽ in vnum idemq; vere lapideum corpus concreuissent. Dextrum autem brachiũ ad vmbilicum manum extendebat, quæ ad carpũ inad-

inaduertenter abstracta sunt, & in alio matris relicta. Fœmur, genu, tibia sinistra, dextris incumbebant: quibus tamen erant ita implicita, vt talus sinister pedisq; planta, in dextrum Pedion implantaretur, quibus excauatum cederet, & pene indissolubili nexu colligaretur. Vtrumq; crus in ventrē & pectus reflectebatur, certissimāq; fœminei sexus notulam tegebat. Tibia vtraq; ad nates intorquebatur, pedibus & pedum digitis ita inter se compactis, & lapidefactis, vt facto ex oculis & tactu iudicio, totum istud opus dixisses esse alicuius Phidiæ, qui vel ex ebore, vel ex marmore maturæ ætatis Embryi absolutissimam Iconem expressisset, maxime cum in ea duritie corpusculi moles non cōcidisset, imo cum cute nitida integram suam & συμμετρίαν & πολυσαρκίαν retinuisset.

Partes autem internæ, viscera nempe omnia, Cor & Cerebrum habebant naturaliter, eo dempto, quod vltra modū induruerant, minus tamen quam externæ, ita vt hodie exertum istud corpusculum, neq; putredinem minetur, neq; teredinem. Ex quo postea dentem exemit inopinanter quidam obuius, qui prodigium contrectabat, vt dentis sedem in ipso alueario adhuc conspicere liceat. Hæc de matris & fœtus administrata Anatome dicta sunto.



A Figura & situs infantis in vtero.

B Infans extractus cum parte vteri & tunicatum.

C Corpusculum in quam potuimus dimensioné extensum.

EXER.

EXERCITATIO PROblematica de istius indurationis causis naturalibus.

IAM de istius indurationis naturalibus causis aliquid disseramus. Huius autem prodigiosi abortus, nisi sensus nobis faceret fidē, frustra quęreremus rationum momenta. Sed cum visus & tactus, certissimi inter sensus externos iudices, rē ipsam bis mille hominum oculis spectandam exhibeant, manibusque tractandam (vt hodie quoq; idem inter nos & spectare, & palpare subinde licet) tria videntur superesse liberalioribus ingeniis discutienda.

Vnum, qui factum sit vt corpusculum istud, quod constituta & naturali puerperii periodo, & inter tam graues cruciatus extinctum fuisse constat, tamdiu in istis latibulis asseruatum, non computruerit, aliorum abortuum more, quos vel derepente Matricidas esse videmus, vel paulatim & ex lōgis interuallis excussos fuisse, à grauibus auctoribus accepimus: vel facta sibi per ventrem inferiore via, membratim excussos, cum hi tres putredinis causæ videantur cōcurrisse: nempe corpusculi temperies calida & humida, qualis est puerorum. Loci natura, cum vterus intertextus sit multis venis

& arteriis, & visceribus (in quibus residet naturalis caloris fons) proximus. Cum ille sit in mulieribus veluti sentina, in quam totum corpus suorum excrementorum sarcinam deponat, cum denique sit pudendis proximus, quæ Galenus σαπρόσοδον pronūciat. Tertio impedita perspiratio, cum in prægnantibus vteri os arctissime, vsque ad excussionem fœtus coarctetur. Sic enim, vt fert illud insigne Philosophorum & Medicorum axioma, calida & humida, calido & vdo loco conclusa, & aere non perflata, citissime situm contrahunt, & putredinem.

Galen. in 3. Epid. Co. 3. & 1. de diff. Febr. cap. 8. & 8. Meth. 7. & 11. cap. 4. & 8. & in 3. Epidem. Com. 7. Auic. libr. 1. Fen. 3. & lib. 4. Fen. 1. & tract. 2.

Deinde, naturali in viuentibus deperdito calore, extraneum succedere necesse est, cuius est vrere, putrefacere, corrumpere, & tandem in cineres resoluere, præcipue si subiectum nactus sit calidum & humidum, quale est puerorum corpus, quod cum multo humore scateat, vere, vt loquitur Aristoteles, εὔφθαρτον dici potest.

Alterum quæstionis caput positum est in inuestiganda illa intemperie, siue simplici, siue composita, quæ tantam duritiem peperit, & ab iisdem fontibus emanat præcedentis dubitationis solutio, cum ea durities sola, vel quæ eã attulit, causa (nihil enim eximie siccum putrescit) corpusculum illud à putredine vindicauerit.

Galenus 3. Epid. Co. 3.

Omne

Omne autem durum, inquit Galenus 5. Simpl. cap. 3. fit vel plenitudine & renitentia, vel concretione, vel siccitate, hisque vel solis, vel inter se complicatis. Indurui nec vero iste fœtus repletione, cum nihil in fœtu, neque in eius inuolucris turgeret largiori humore, vel naturali, vel excrementitio. Imo illa essent omnia exsiccata, & arefacta? Concretionem accusabimus, quam etiam congelationem appellat Galenus, qua metalla plurima in fodinarum penetralibus: saxea, in lapidicinis: Meteora, in media aeris regione videmus congelari & concrescere? sed quid externa exempla huius congelationis quærimus, cum domesticum suppetat, & nobis sit præ foribus.

Est enim in nostra vicinia prope oppiduli Veronęi mœnia, fons perēnis scaturiginis, aspectu iucundissimus, lympha limpidissima, colore quidem & odore ἄποιος, sed sapore non ità commendabili, incolis tamen nō ingrato. Erumpit autem ex altissimis subterraneis cuniculis, labroque, vel potius cratere excipitur ita affabre in orbem circumducto, vt nescias illamne ἀυτόματον natura dederit, an vero ars Euclidis exquisitissimum istum circulum elaborauerit. Sic autem ad labri margines exundat aqua, vt statim & breuissimo ductu decurrat in to- La Fontaine de Vero.

 tam,

tam, quæ molam frumētariam circumagit, indeque cum glarea, quam currente alueo secum abradit, guttatim in substratum lutū & proximam vinæam decidit, quæ omnia sua frigiditate ita subigit, fermentat, & cogit, vt tandem in lapides induret, leues quidem illos & foraminulētos, & veluti pumiceos, quorumque vnam aliquando partem videas iam petrefactam, alteram vero adhuc agnoscas musco herbaceo virentem & cœnosam, quæ tandem lapidescere incipiat. Coguntur vero illi lapides tanto aggere, vt nisi ex interuallis molitor eos ferreo malleolo conterat & subtrahat, impedimento sint ipsi moletrinæ, quo minus libere circūuoluatur. Ista obiter dicta sint de λιθιάσις, quæ ex aquæ istius frigiditate & fortasse natiuo solo procreari videtur.

Similis autem aut potentioris congelationis quis potest esse locus in internis recessibus nostri corporis, qui multi sanguinis & venosi, & arteriosi affluxu, vicinorum viscerum benigno tepore, & ea functione ad quam has partes natura finxit (cum in ipsas, vt in agrum fœcundum nostræ generationis prolifica semina committat) minus algere debeant. Sic Hippocrates frigidos, siccos, densosque vteros, vt effœtos pronunciat. Quod vero Galenus de Anatomia viuorū, adipem,

adipem, frigiditate spermaticarum partium, & à cordis calore magis distantium, concrescere scribit: certe vt ex imbecillo frigore vliginosa materia facile concrescit, ita quoque leuissimo calore illa liquatur: hic vero de lapidosa duritie agitur. Restat igitur, argumento ab enumeratione partium petito, corpusculum occaluisse siccitate, ad quam non parum fecisse videbuntur dolores assidui, quos gestans sustinuit. Item vigiliæ & inedia, quibus diu multumque vexata est, quę omnia ad causas exsiccantes referunt Medici. Adiicere licebit illũ vteri καθαλυσμὸν, quo pro puerperio multus ichor è mulieris loculis effluxit, sicque & vterus & fœtus, eiusque inuolucra exaruerint, absorpta omnis putredinis materia, quam in humido, & naturali, & excrementitio positam esse, Physici autumant. Solane vero siccitas tātam duritiem peperit, cum qualitas sit patiens, & ad agendum ignaua: Causæ autē ad suos effectus analogæ esse debent, & viribus pares? Ex quo fit, vt sit verisimile siccitatem solam non potuisse eo vsque indurare, sed alterutri qualitatum δραστικωτέρων, frigiditati nempe, aut caliditati coniunctam. Frigiditatine? vt siccitati cōgelatio accesserit mixtis his duabus inter se indurationis causis? Si enim quæ putrent, se ipsis fiunt calidiora

X 5 & hu-

& humidiora, consequi videtur (vt contrariorum contraria sunt consequentia) ea quę non putrent cum putrescere nata sint, id habere à frigido & sicco. Præterea, promptius quæque alterantur, à similibus suæ intemperaturæ causis. At hic cutis natura frigida & sicca, potissimum saxeam eam duritiē induit (vt in ouo testa ex molli tunica occallescit) ex quo fit, vt sit verisimilius illam duritiem à frigido & sicco excitatam. At neque loci, in quo concreuit temperies, neque vlla humana ratio id patitur, vt dictum est, cum de concretione ageretur. Iam videamus, an caliditate siccitati coniuncta istud corpusculum indururerint, cum à tot tantisque laboribus tandem, veluti febre hectica colliquata fuerit illa, & contabuerit? Cum præterea calidis & siccis medicamentis, tum intro sumptis, tum foris admotis assidua illa tormina sedare, flatus discutere, & molestissimum illud vteri onus, & quod subinde exitum minari videbatur, deturbare conabatur imperitissimum muliercularum vulgus? A coniunctis hisce causis, & salis glebę, & alumina, & chrysocolla, & chalcanthi genera indurantur, quæ postea humore liquantur, cum ante calido & sicco obduruerint.

Tertium huiusce disputationis caput positum est in harum intemperaturarum

sue simplicium, siue compositarum differentia: nempe, sintne illæ externæ tantum & aduentitiæ, an vero aliquod ab ipso corpusculo ἐνδιάθετον innatum & latens acceperint initium. Nam licet ea, quæ de causis proposita sunt, habeant quandam speciem adumbratæ veritatis, multum tamen absunt ab ordinatis naturæ legibus. Quid enim illas causas accusamus, cũ omnes sint externæ, & huic corpusculo aduentitiæ, quę sine internarum aptitudine, nihil videntur posse agere? Non enim omnis causa, quæ corpori aduenit, inquit Auicennas Doct. 2. Fen. in ipsum operatur, sed ad id requiritur & agentis fortitudo, & dispositio patientis. Gal. de Diff. febr.

Hic igitur præter communem consuetudinem (cum natura hominis corpus molle & tenerum finxerit, vt quod ad functiones animæ magis aptum esset, quam si induruisset) latuisse dicemus aliqua huiusce indurationis seminaria, vt orta respondeant suis principiis, & insitam vim quandam peculiarẽ & abditam, quæ ab externis illis causis excitata, tandem in lucem emerserit, vt singulorum quæ fiunt, interna quædam effectrix causa existit. Physici enim rerum omnium formas, excepta illa principe, quæ diuinioris est originis, ex materia educi putant. Galen. lib. Quod animi mores, &c. & de Vsu part. Gal. libr. de Caus. proc.

Item

Petrus Danus in sua Idea med.

Item & Spagyrici, qui eas profitentur esse ἐμφυτοποιούς, neque extrinsecus accedere, sed delitescere in ipsis seminibus, quę (vt sua arcana tegant, quibusdam verborum inuolucris) suis matricibus consentanea esse oportet.

Quod si dempta illa ratiocinatrice, formæ quæ dant esse rei (vt Logici dicunt) educuntur à primarum qualitatum temperamento, illa etiam erunt ab eadem scaturigine, quæ necessario primam illam temperaturam sequuntur, inter quæ non solum odores, sapores & colores reponunt Medici, sed etiam mollitiem & duritiem. Proinde præter externas caloris, frigoris & siccitatis causas & aduentitias (quamuis varie sentiāt & Philosophi & Chymistæ, de lapidum & fossilium, & efficientibus, & materialibus causis) alii succum, alii lixiuium, alii sal, alii aquam congelatiuam, non solum vt materiā indurationis, sed etiam vt quodammodo effectricem, & in ipsis indurantibus insitam, fixamque delitescere, proferunt. Sic Corallium, cui proprium est veluti quarto modo (vt Scholæ loquuntur) aeri expositum lapidescere, ideoque λιθόδενδρον Græcis appellari (cum mollis fuerit liquidis prius herba sub vndis) Non quidem solum ab ambiengis frigore induratur, sed quod absconditam habe-

habeat in se suæ duritiei energiam, quæ à circumstante aere affecta, illam produxerit. Præterea Matre ab illis causis colliquata, nihil fœtui decessit de pleno corporis habitu, quem alioqui ac sumi & concidere necesse fuisset, si easdem causas fœtus sustinuisset, humore tum fluente, tum implantato, vi caloris extranei absumpto.

Molas quidem in suis finibus sæpe concrescere, & in gestātibus consenescere, imo iis commori certum est, vt multa scirrhosa, tophacea & lapidea in nobis generantur, aluntur & augentur, cum excrementitia sint corpora, imperfecta, & sola viuāt anima vegetabili, vt etiam in externis rebus ligna lapidescere videmus, eorumq; cortices: item & plantas nonnullas. Sed quæ perfecta sunt animalia, cum primordia suæ generationis habeant potentissima, eorum extincto innato calore, humiditatem putrescere oportet (vt interitus proxima est via ad putreditatem) concurrentibus præcipue aliis putrilaginis causis, vt dictum est antea.

Quod autem recensent nonnulli, ex aliorum fide, & hominis pedem & caput, imo & totum corpus, visa fuisse indurata, id multū abest ab eo, de quo hic agitur, cum de induratione fœtus inspirantis vtero dissceratur: illa vero asseruata esse dicant, conditura & concre-

concretione cadauerū in sale quodam terræ, vt inquiunt, vegetatiuo, quo omnia ferunt dealbari, indurescere, & coalescere.

Istam pugnantium argumentorum litē, quę vires eundo magis ac magis acquireret, dirimat æquus arbiter. Ego vero nouorum Academicorum more, definam in ἐποχῇ, suspensamque sententiam, vt canant Cygni, sicut est in prouerbio, tacentibus graculis, excitenturque docta ingenia, ad scrutanda summi opificis, naturæque miracula, & ad eruendas eorum causas ex Philosophorum Thesauris, in eo præcipue spectaculo, in quo à primo ortu, neque in similiarium partium temperie, neque in instrumētalium figura, numero, situ, aut connexione natura peccauerit. Ideoque nihil hic sit monstrificum, cum nullam habeat istud corpus deformitatem notabilem, toti suæ speciei extraneam, quam à prima origine sortitum sit. Plinio autem lib. 7. cap. 18. Nat. hist. si mirum fuit, quosdam concretis ossibus extitisse, & sine medullis: quod portentum istud fuerit fœtum extractum, imputrem, imo in suo veluti ergastulo lapidefactum, tot mensibus & annis à matre circumgestatum fuisse?

SIMO-

SIMONIS PROVANCHERII LINGONensis, & apud Senonas Medici, de huius indurationis causis opinio.

DE partu anatomico eius mulieris, quæ in SENONVM vrbe vixit annos octo & sexaginta, & cui extinctæ, eruta est puella instar molis, q̃ in vteri sinu octauum & vigesimum annum impleuerat, Gallice scripsi. Eundem partum, qui Latine & copiose loqueretur, ad exteros relegare decreueram, cui Physicas, sed è re natas exercitationes meas adiungere operæ pretium videbatur. Inter moras Albosius Hæduus, qui excudendam spectaculi effigiem curauerat, eius historiam Latine exprimit. De qua scribenda iam pridem amicorum, & maxime exterorum, ad quos vt nominis, ita eruditionis suæ fama peruenit, literis frequentibus vrgebatur. Hic oratione graui & veridica flagitantium votis respondet, vt mollis in obsequium facilisque rogantibus esset. Historiæ de induratione fœtus in vtero physica & problematica inquisitio accessit. Vtraque mihi tanto-

tantopere placuit, vt in ea vertenda, Gallicè meam operam requirere visa sit: nec eius Auctorem plenius commendabo, ne quia viuit, & eiusdem vrbis sumus incolæ, in fœdam adulationem me demitti, in multorum opinionem irrepat. Et quia in dubia & ancipiti re sic animus consistit, neminem mirari oportet, si in apertum campum descendam, & vtraque lingua mearum exercitationum breuiter ac summatim Epilogum adiiciam. Ergo rem ipsam aggredior.

Gal. lib. 14. de Vsu part. Vterus μήτρα Græcis, quem Deus ad concipiendum fœtum destinauit, crassus & impactus carneum quid refert: cæterum neruosus & membranosus est, vt gestationis decursu in amplitudinem posset extendi: ac semen, quod hominis abstractum Zeno appellare non dubitauit, in vteri sinum effunditur, idque vnicum propagationis perpetuæ subsidium comprehensione firma concipitur. Ex quo primum omnium inuolucra genituræ procreantur, mox reliqua mébris & articulis distincta, semine genitali opifice, nec non spiritu sanguineque menstruo administris instruuntur, vsque dum opus esset absolutum. Cum igitur fœtus hic Senonensis à conceptionis die, ad prima suæ speciei lineamenta nouem mensium processu, instara in vtero materno corporis organici

molem addidisset, matri, quę huic grandiori alendo superesse non poterat, initium partus induxit. Fit enim cum diruptis, calcitratu & motu valido, pueri membranis, ipse à vinculis exolutus foras prodit, & ita perfectus est, vt per os nutriri possit. Gal. lib. 15. de Vsu part.

Diuulsis porro inuolucris, ichores prodeunt multi, & membranosum quid cruore tinctum, referente marito: tumq; graues & iniqui dolores, qui confertorum spirituum vi accidunt, matrem excruciant. Frustra hæc fiunt omnia: hæret infans vtero, quem neque proprii motus, neque matris impetus, possunt excludere: tandem alimenti penuria, ob quam sibi moliebatur viam & exitum, breuissimam vitam cum morte commutauit. Ex significatione huius noui partus, quæ in lucem edita mense Maio superiori, potuit intelligi, quod scriberem hunc fœtum ante indurationem, vixisse, ac seruatum fuisse instar molæ. Non deerunt, qui ex eo loco capient opinionem, me fœtui animalis vitam abnegare. Imo ratum habeo, intelligentem animam membris affabre concinnatis suæ speciei consentaneam affulsisse. Atqui hoc vnum cogitabam, vt indicarem tam fœtus quàm molas posse vtero ad plures annos affigi: nam molæ vitiulo & materiæ absurditatem sequuntur, quarum

onus ægre natura sustinet: fœtus vero sunt opus benignioris naturæ, ad quos concipiendos vterus comparatur. Adde quod irriti conceptus ad putredinem, si vitæ expertes inanimatis, & animati vitalibus conferantur, quam fœtus sunt procliuiores: siquidem illi humida & lubrica constant materia, quæ facile putrescit: fœtuum vero compacta, vt plurimum dura & sicca est substantia (vt qui ex neruis, venis, membranis, vinculis & ossibus consistunt) cuius ratio putredini reluctatur. Pars enim sicca ægrius putredinem admittit. Poterat tamen hic fœtus Senonēsis ad putredinem progredi: Cur ergo ab extinctione caloris, illā effugit, & occalluit? Refrigeratur vterus præter naturæ suæ modum, fracti caloris imbecillitate per irritos labores partus, per eruptiones aquarum, per effusa quędam cruenta, per concepti frigidi externam iniuriam. Frigus enim, dehiscente vtero, & diductis cruribus in expectatione puerperii, admittitur. Ex victoria frigoris, humores, qui venis mediisque spatiis vterinæ molis & conceptæ puellæ pertinacius impacti erant, concretione coguntur: perinde ac gelatis accidit: sic enim affecti κατεχόμενοι appellantur, qui eam formam retinent, in qua deprehenduntur. Fit autem id malum ab humore frigidiore & congelante. Et-

te. Etenim frigore humida concrescunt, vt Gal. ex spõtina scirrhorum generatione patefecit. Coeunt autem vsq; adeo humores, & in concretionem deducuntur, vt cum vtero fœtus scirrhosa n planè, callosamq; duritiem contrahat. Nam & ex frigore duritiem fieri docuit Gal. Humores autem qui demissi sunt, in concretionem, crassi erant & glutinosi: alioqui nunquam fœtus vterusq; in callosam duritiem essent progressi. Erant & frigidi: nam scirrhus, vt Galeno placuit, omnisq; tumor scirrhosus ex humore crasso, viscido ac frigido nascitur, qui in parte frigida, siue sit melancholicus, siue pituitosus, siue ex vtriusque mixtus, facile concrescit. Frigus enim humores congelat, vt diximus; & maxime frigidos. Itaq; hoc in agendo potentissimum, simul atq; fœtum cum vtero excepit, in vtroq; efficiens indurationis causa extitit, quæ quidem corpusculo & vterinę moli, ex materiæ & humoris ratione, impendebat.

in 6. Epid. Co. 3. sect. 14.

Hipp. libr. de Carn.

5. Simpl. 5. &

4. Meth. & 4. & 5. Simpl. ca. 2. & 3. de Loc. affect. ca. 5.

His igitur ad absolutã duritiem pergentibus, sensim humor per halitũ resolutus est: non enim crassa, refrigerata, concretaque restitit, & in callum vteri perinde ac infantuli moles coaluit, ante serosi recrementi vaporationem. Nulla vero humiditas, post hanc coitioné p venas, q̃ solæ fœtui alimen-

tum conferebant, in media vteri ſpatia illapſa eſt, ac proinde facto ſeri & cruoris effluuio, quod ad puerperii tempus natura depoſuit, in loco frigido, ſicco & ſaxeo, proles madere deſiit: imo duri occurſu induruit. Nam & humor, qui circa articulos colligitur, ex oſſium natura, teſtāte Hippocrate, duritiem induit. Dicet aliquis ex Phyſicorum & Medicorum ſententia, frigore concreta calore liquari: cui ſatisfactum fuerit ſi reſpondeam, alias indurationis cauſas à frigore indiſſolubilem vteri & geniturae concretionem reddiſſe, idque ſcirrhoſi tumoris modo, qui ſiccitate & frigore concretus, nunquam emolliri poteſt. Igitur nihil aderat per ariditatem loci, quod fœtum faceret obnoxium putredini: exhauſta erat omnis humiditas innata, nulli aduentitiae per vteri craſſitiem ac duritiem aditus patebat ad induratum fœtum, quo ſeipſo redderetur humidior. Nam quae putrent, ait Hippocrates, ſe ipſis humidiora fiunt. Porro confirmata indies duritie, proles illa perinde ac ſcirrhus, vtero ſcirrhoſo affixa, potuit integra forma, in mortis maternae tempus conſeruari, citra inſignem earum partium colliquationem, quae natura ſua laxiores abſumi poterant, niſi concretio à frigore irrepſiſſet. Quod factū fuiſſe adeo mirum vide-

rinon

ri non debet, quum neque ossa indurata, neque calli, pori ve, qui generantur in nobis, procedente die minuantur. Hæc mea est compendiaria argumenti propositi disceptatio, candide Lector, si quid rectius illa noueris, imperti: si non, hac vtere mecum.

FINIS.



SCLEROPALÆCYEMATIS SIVE Lithopædii Senonensis,

ID EST,

FOETVS LAPIDEI VIGEOCTENNALIS CAVSÆ.

Cur nasci non potuerit.
Cur per viginti octo annos in vtero retentus non putruerit.
Cur in lapidem indurueri.

FR. ROSSETO AVCTORE.



X 4 LECTO-

AVCTORIS A... CANDIdum Lectorem Carmen.

QVICQVID scire datur, sensu, ratione, vel vsu,
Scitur, quo sciri singula more queũt.
Doctorum est ratio, sed plebis sensus, & vsus,
Hæc illis etiam sint licet auxilio.
Iis sua si desint hæc instrumenta, stupentes
Obuia facta ipsis omnia mira vocant.
Non tamen vt quod plebs miratur nescia temnit
Discere, (cui mens est, vitaq; semper iners.)
Sic quæ mirantur nondum sibi cognita docti
Spernunt, sed vigili nosse labore student.
Nil mirum est igitur si plebs nec visa, nec vsa,
Auditaq; ipsi cognita mira vocet.
Hæret vt ignota nouus in regione viator:
Hac illi ignosci culpa supina potest.
Nescit maxima pars quo sit quærenda recessu
Abdita natura vis sibi mira creans:
Sed doctos quorum est rerum cognoscere causas,
Vnde venire rei lux sua cuiq; solet.
Admiror tacitus quæ nunc damus illa videri
Mira, quibus tamen est addita causa comes.
At qui nec credit populo quibus vtitur, & quæ
Audiuit, vel quæ vidit & ipse stupens,
Nec satagit tacitas meditando exquirere causas
Rerum, quas hominum nemo negare potest,
Nostratum populo talparum cæcior optes
Cum talpis vna viuere tineriis,

Imberbis quali ludit iuueniliter ætas.
Tunc roseis mea Musa genis formosa nitebas.
Multa quidem mutata ætas pro tempore mutat
Sed memorem mutare tui communis Apollo
Me vetuit mentem, medicæ qui præsidet artē
Vt vestris numeris. Ex quo tua munera liqui
Inter rusticolos æquales primas haberi
Olim pertæsus, mediastynisq; magistris
Auctior, atq; nouos etiam tunc vltimus inter
Spectari socios (me suffundente pudore)
Impatiens (quamuis alba felicibus ouis
Gallinæ fortuna illos voluisset oriri)
Ille Deus, Deus ille (inquam) non truncus (vt olim)
Aut lapis, at mundi magno se corpore miscens
Spiritus, ingenium genio qui cuique ministrat.
Scire potestates herbarum, vsumque medendi
Me voluit, fecitque fauens, vt bella mouerem
Grauiter in morbos: vbi (quæ non vltima laus est)
Principibus seruire dedit: tamen ista senili
Deinceps esse parum sors incipit vtilis æuo,
Vt sunt nunc mores: modico contenta parata
Vobiscum melius sapientium corda senescunt,
Aut potius rursum iuuenescere languida discunt.
Sed rugiosa licet (animus grauiora) venito.
Ambo sacratum Domino modulabimur hymnum,
Omnibus hunc omnes senio veniente diebus
Spe plenos vitæ melioris ponere finem
Mortali vitæ Deus admonet omnibus horis.
Nec pudeat cano canam aspirare clienti:


Sed

Armenta tecto errat miser, & vagas vstis.
Eheu quo miseros vis impia traxit agrestes?
Sed cum temporibus dederit Deus his quoq; finē,
(Marmora nam sua mors, caries sua robora rodet)
Prima renascetur fatorum lege vicissim
Ex auro meliore ætas, quas solus in orbe
(Chara Dei soboles) Christus, qui carneus olim
Fœtulus in sacra latitauit virginis aluo
Tot victor portenta hominum sub tartara mittet.
Ille vbi sanguineo Thau secata colore
Introrsum turpis mores mutarit auitos,
Et qua nos perdunt ciuilia bella quierint,
Succedet prisca delens vestigia fraudis,
Humanasq; omni soluet formidine mentes,
Quas ignara Dei lex fascinat, illaq; tollet
Monstra sui vindex, quorum os, moresq; perosa
Est pietas hodie grassante tyrannide plorans.
Incipient æterna dehinc procedere secla
Carnea namq; hominum saxosis membra sepulcris
Emergent, sed viua, nec vt nunc saxea, verum
Perpetuas puri ventura in luminis auras.
Tunc si saxoso mors carnea iudice mecum
Sarcophago certet, cedet moritura vicissim
Iudice sarcophago: nostra nam carne resumpta
Spiritibus celsi facilis via fiet Olympi,
At tunc iussa mori fremet horrens ore cruento,
Tartareasq; ibit mors indignata sub vmbras.
Desine tā grandes humilis mea musula versus,
Quamuis vera canas, & sacris digna Prophetis.

Non tamen iis locus est: præsens in tempus omitte
Quæ mihi nunc afflas Astræis digna cothurnis,
Et dum certa manent nos hæc cœlestia, mecum
In terris meditare diu miracula nullis
Sat bene cantari speranda Maronibus vnquam.
Qualicunq; autẽ portenti, aut nomine mõstri,
Prodigiiq; velint annosum dicere fœtum,
(Altera cui saxum, caro cui pars altera, verum
Nondum putris erat, iamdudum in corpore mersa)
Non moror: id fieri naturæ lege canamus.
Verum tota Deo res hæc accepta referri
Debet: cuius ego tacitas licet edere causas
Aggrediar, tamen eius opus mirabile, cunctas
Nascendi causas, (sunt numinis omnia plena)
Arcanas vires, motus, effect. stupendi
Imperii credi debere agnosco libenter,
Pura ruente illic diuinum numen adorans,
Eius vbi quondam pro maiestate profani
Maxima pars orbis res est venerata creatas,
Et veneratur adhuc, verum dabit his quoq; finem
Ille Deus, solum qui se vult numen haberi.
Ille est mortiferum qui noluit esse cadauer
Tam multos grauido gestanti in ventre per annos
Exanimem fœtum, & iam siccis ossibus hærens
Insolito saxi duratum more cadauer:
Diuinæ virtutis opus. Natura sileto,
Aut hic si quid habes, ab eo venisse fatetor.
Omnipotente manu qui terras, æquora cœlum
Condidit è nihilo, momentaq; singula rerum

Vt

Vt libet immutans librato secula passu
Ire iubet, vitæ cursum moderantia nostræ.
Seclorum ipse pater, cœlos super arduus omnes
Lucis inaccessæ plus quàm regale tribunal
Insidet, ac solio nos nostraq; lustrat ab alto.
Ergo illi supplex soluens mea musula grates
Numen Io, bis numen Io, ter læta, quaterq;
Numen Io rerum factori dicito mecum,
Respondebit AMEN ferienti sydera voce
Naturæ exultans nobiscum splendidus ordo.



PRO-

ARGVMENTVM SEQVENTIS TRACTATVLI.

Tria hic proponuntur præcipue perquirenda.

Cur in lucem edi non potuerit.

Cur nasci quomodocunque prohibitus, tamque diu ibi retentus non putruerit.

Cur in lapideam duritiem concreuerit.

De primo itaq; sic statuendum videtur.

FOETVS in vtero incerta de causa læsi, & matricis æque obscura ratione sauciatæ vulnera (quorum vtrunque sine abortu fieri posse probatur) volo vt quamproxime (læsis etiam fortasse membranis fœtum inuoluentibus) se contigerint, & ibidem vtraque sponte naturæ sanata fuerint; vtique ea secum vicissim ita coniungi contigit intus, vt sæpe foris accidere videmus. Sed ne quis sine necessitate prompti abortus id fieri posse neget, rationes vtriusque (id est matricis & fœtus) sine abortu lędi solitæ partis proferuntur, tam ab auctoritate, quam exemplis analogicis similium, aut peiorum vteri, ac fœtus affectuum. Qua in re longiuscula est in fertam de secundis gemellorum, & superfœtatione disputationem digressi-

capitis incisa cute coeunt) sed etiam similiū vt nasorum, qui prius amputati & de nouo vulnerati sunt, cum brachii summi carne incorporatorum, & ita demum restitui solitorum, vt de concrescentia labiorum in vlceribus taceatur. Atq; hæc est secundi quæsiti solutio. In qua fit excursus in explicationem eiusmodi vitę, aut animæ vegetātis, quæ ante partum fœtui duplex erat, sed post partū simplex, suffectura tamen putredini præcauendæ.

Tertium erotema est, cur in lapidem obduruerit, quod probatur fieri aggestione materiæ talis in eo fœtu cum matrice concorporato sic conculcatæ, qualis est in nodis podagricorū, & tophis scirrhorum; in quibus sæpe (vt in subterraneis etiā locis) mollia quædam in lapidem decursu temporis verti consueuerunt. Cætera quæ ex rationibus iis vt corollaria dependent, ex lectionis consecutione satis patebunt.

Fudit aqua riuum, nec paucum sanguinis atri
Postea, mox tunica carnea frusta putris.
Iis ita deiectis minus ægrotabat, eodem
Sed redeunte diu pressa dolore fuit.
Nescia quid faceret quos non in vota vocabat
Aut medicos plorans, aut gemebunda deos?
Nil medici, obstetrix, chirurgi, pharmacopola,
Aut diuum quisquam profuit vt pareret.
Ex illo tam ventre tumens, quam corpore toto
Ægra sibi extremum est sæpe precata diem.
Attamen exegit tam multu languida vitam
Qualemcunque annis vt moreretur anus.
Ter decies binis octo iam adiunxerat annos,
Cum petiit ventrem mox moritura suum.
Disquiri penitus vita fugiente; fuitq;
Exanimi vetulæ fectus aqualiculus.
Intererant igitur bis deni circiter, atq;
Bis quatuor postquam spe paritura fuit.
Aridus arenti fuit in matrice repertus
Ante ortum fœtus cognitus esse senex.
Eius coxa vtero visa est tam firmiter hærens,
Quam si iuncta forent corpora perpetuo.
Grandinis, aut saxi referebant illa, vel ossis
Læua parte sui corpora duritiem.
Viscera dissecto propriis distincta figuris,
Atqui suis intus nota fuere locis.
Omnia, sicca tamen, possent coreacia credi
Omnia, viuenti carnea quæ fuerant.
Illis nulla vnquam veteris vestigia puris,

Intra vterum pridem stabulans scrinsere repen. in
Humani lapidis nobile prodigium.
Prodigium cuius nouitas comperta probabis
Cesare de nostro quæ mihi cunque negas.
Rosseletus item, Perigosius arte medendi
Percelebres, & qui dissecuere duo,
Atque alij deinceps, populosis quotquot habentur
Chirurgi in Senonum mœnibus id referunt.
E medio multos equitatu, plebe, Senatu
Id sibi qui visum testificentur habes.
Sacra cucullati videre examina cœtus,
Inque illa semper presbyter vrbe frequens.
Tractarunt, & adhuc versant id mille videntum
Millia, tot non vis credere? vise piger.
Qui fœtum exemit seruat Chirurgus, amatque
Gratis palpandum tradere sponte domi.
Sint tibi mille licet testantum plaustra, negabis **PA.**
Nasci ex humano semine saxa tamen.
Hæc carnis species duræ, vitaque carentis, **PL.**
De qua facta illis mentio docta fuit,
Extinctæ nuper distento ventre parentis
(Quæ lustris plusquam quinque grauata fuit)
Pondus erat solidum, nec cognita farcina, verum
Intra matricis viua puella sinum.
Ex vtero matris cum nono mense sub auras
Vitales primum vellet inire viam,
Luctanti duram spirans Lucina nouercam
Præclusit portæ parturientis iter.
Restitit, & prope sex lustris in ventre morata

Dum mare formidans terris consistere nollet PA.
Remigio alarum Dædalus aufugiens,
Noluit extolli soli vicinus, ab eius
Immodico ceris mollibus igne timens.
Tutus iter medium tenuit prudente volatu; PI.
Quod nunc Albosi prouida penna secat.
Si satis est (vt vis) quod tam bene scripsit amicus, PA.
Te frustra crucians lædis amicitiam.
Is quia quot capitum, tot sunt discrimina sensus, PI.
Iudiciiq; placet forma quibusq; sui,
Non sua vult quenquam iurare in verba, iubendo
More tyrannorum, quæ sibi cunq; placent.
Dum modo quam cuncti sensu testante fateri
Coguntur, constet res pede firma suo,
Libera permittit rationum cuiq; suarum
Optio sit, nullis arbiter esse volens.
Huic tua musa comes vis (credo) subuolet, vt se PA.
Confirmet veteris lege sodalitii.
Hoc ita sit. Verum si paulo tendimus vltra PI.
Non tamen accuset me rationis amans.
Namq; probare ex hoc sensu, & ratione probatæ
Exemplo historias Cæsaris opto mei.
Est mihi cum doctis res, indoctisq; futura,
Quos operis doceo sumere pensa noui.
Hos rerum prompte monet experientia, verum
Sola illos ratio firma valensq; trahit.
Prorsus si quantum scripta modo congruit horum
Historia ad nostram consona materies,

Diuulsuro illud sit diuturna satis.
Accedente illis genuini nectare succi,
Atq; calore suo conueniente loco,
Accidet haud dubie natura vt lege potentis
Vulnera iuncta prius mutua vulneribus
Concrescant lento decursu temporis, inq;
Vtraq; continuum corpora corpus eant.
Sic neglecta coit palpebra erosa, vel arctos
Lippa diu cohibens lumina fasciolis.
Hoc vesica modo, propriumq; vretra meatum
Arctat eis, quorum est mictio difficilis.
Sic coit exterior testis membrana Iumentis
Saucia cum scroti vulnere contigui.
Dissita cuius hiat carnosæ sectio partis,
Vnit acu medicus vulnus vtrinq; suens.
Deniq; sic reparat labrum Chirurgus hiulcum
Intercisa prius circiter ora ligans.
Sic vteri vulnus cum fœtus vulnere iunctum
Naturæ sanans vis requiesq; ligant.
IAM mihi da (nec enim fieri nequeuntia, sed quæ
Nemo suis oculis non videt apte dari.)
Da matrix (inquam) fœtu queat esse retenta
In quadam interni saucia partu sinus.
[*(Nunc ego cum medicis hac voce recentibus vtar*
Pro loculamenti corpore fœminei.
Prisca suo maneant in honore vocabula: sed cur
Non erit & nostris si volet vsus honor?
Namq; sibi proprio queuis ars nomina iure
Subiectæ fingit congrua materiæ.)]

Matrix

Matrix ergo velim fœtu queat esse retento.
In quadam interni saucia parte sinus.
Nam cur non id erit, si quod prorrheticus inquit
Hippocrates dignum credimus esse fide?
(Si matricis (ait) pars vulnere læua laboret,
Concipit incolumis dextera sæpe marem.
Contra fœmineo conceptu læua tumore
Sana potest, quamuis dextera pure fluat)
Quod si fœtificat matrix ita læsa, quid obstat
Saucia quin fœtum nutriat incolumem?
Sed cur non id erit, si fœtus læsus & ipse
Non tamen inde foras præcipitanter abit?
Hoc mihi donari quasi gratis nolo precari.
Nil mage conspicuum sensibus esse potest.
Nam dudum sanata gerens membra, ora, palatum
Nascendo monstrat læsa fuisse puer.
Vidi ego nascentem cui fractum occalluerat crus
Fregisse illum crus ante necesse fuit.
Facta prius labri fœtum dum venter haberet
Vulnera, quando oritur sana videre licet.

DE læsi porro parte interiore locelli
Sanata par est, & manifesta fides.
Noui ego, (sed cui non eadem tam sæpe videntur,
Vt sit inanis ad hæc testificanda labor?)
Noui (inquam) fartas mola quas, vteriq; dolores
Pignoribus saluis sunt comitata diu.
Denique queis mirueq; cruor, pituitaq; putris,
Et quouis grauius virus odore fluens

Fœti-

Partibus illæsis tamdudum erupit abunde,
Dum sua maturis partubus hora foret.
Quin ea sic multis putruit, per vulnus, vt infans
Egressus versum viscera quantus erat
Exterris premens iecur, intestinaq; multis
Mensibus, atque annis sospite matre tamen.
Sospite matre (inquam) simul, & matrice, negarat
Antea cui partum (facta nouerca) physis.
Namque vterus cum nil dudum stillaret ab illo,
Haud dubie sano vulnere sospes erat.
Contigit id nuper. Botallius atq; Dioneus
Id videre, quibus non male cessit opus.
Dignus vterq; fide, chirurgus vixit vterque
Aulicus, & regi charus vterque suo.
Quin vaste excisa quamuis matrice, quibusdam
Integer exierit, sed patris inde puer,
Nonnullis etiam perfecto corpore viuax
(Mature fuerat cui via facta manu)
Non tamen est vtero gignendi dempta facultas,
Atque enitendi mense dieq; suis.
Eius multa rei patria & peregrina recenter
Sunt exempla fide digna notata mihi.

IIS igitur positis, læsum volo vulua puellum
Immota immotum saucia contineat;
Sic tamen, vt puerum pars illius intima pascens
Illius immunis vulneris integra sit.
Namque aliter vesci qui tandem posset? ibique
Nascendi expectet tempus adesse puer?

Ergo

In medio chorii quæ sedet, ac vteri
Illud idem sibi vult vulgata licere secundæ
Dictio: doctrinæ nomine multa licent)
Quisquis id asseruit, si firmiter omnibus omne
Vult chorion vuluæ partibus esse tenax
Fallitur; idq; docet grauidæ dissectio, quam mors
Ante suum rapuit dura puerperium.
Nam si fert geminos non vno semine cretos,
Atq; suo quæq; est fixa secunda loco,
Neutra omnes vteri poterit contingere partes.
Talibus at duplex esse secunda solet.
Hæc ita si constant, sensum ratione secuta
Desipiunt, si qui tam manifesta negant.
Obijciunt geminis vnas sæpe esse secundas:
Hystera tunc (aiunt) vndiq; sic premitur,
Vt simili chorion respondens mole gemellis,
Illius omne intus tangat vbiq; latus.
At puto si chorio gemini stabulantur in vno,
(Vt plerunq; docet scriptio dia senis)
Non ob id est vtero toti vt sit iuncta necesse
Illa ambit fœtus quæ toga larga duos.
Tunc vtero satis est illi pars vna secundæ
Hæreat, insit ei stirps numerosa licet.
Sic vno geminos Pollucem, & Castora in ouo,
Aut chorio clausos simplice Læda tulit.
Iis ouo conclusa alto simul edita fertur
Esse soror Troiæ postea pernicies.
Non vtrunq; vni loculorum mordicus hæsit
Siue ouum parti, siue secunda tenax.

SED

SED quod is vsq; adeo signanter scripserit illud
  De geminis vno semine progenitis,
Hoc eius memori dictum volo mente recondas,
  Ne noua post dicas quæ paradoxa dabo.
Nempe quod agnoscunt gemini plerunq; parentes
  Diuersos, nec quem dicat vterq; suum.
Nam quæ de solis est eius facta gemellis
  Mentio, queis vnum semen habet chorion,
Innuit ex vario generari semine binos,
  Atq; ambos varium vult alat vt chorion.
Nam reliquis vnas scribit satis esse secundas,
  Ex vno quibus est semine materies.
Doctus Arabs (qui vix fuit experientior alter
  Chirurgus (Bucasis primus ab Hippocrate
Tres quatuorue quidem simul edi, non tamen illis
  Plures vult vno posse puerperio.
(Communi natos naturæ lege putauit
  Hoc demum numero viuere posse senex.
Sunt quibus ad decies numerus succreuit, & vltra,
  Portenti tamen hoc creditur esse genus.
Vno triginta quædam peperisse refertur,
  Enixu mulier pignora viua quidem,
Mox tamen à partu, sunt omnia mortua. Spernit
  Ars, quod naturæ deuius error aget)
Quatuor iis vnum chorion facit. Attamen vno
  Concubitu ne sati sint prius, ille tacet.
Ecquis enim exacte distinguere possit, an vnum
  Agnoscat patrem spermaue tanta phalanx?

HOC

Hoc tamen illorum dictum est dubitabile, quodq;
Nunc obstetricum non solet vlla sequi.
Nam perhibent cuncta sua semper cuique volucra
Obuolui, geminos cum parit vna parens.
Sed nō discernūt (nec enim dignoscere promptū est)
Vno sint ne sati spermate, vel gemino;
Multa anus obstetrix à nobis sæpe rogata
Illud idem constans testificata fuit.
Faxo tamen pleruñq; secus contingat, at vna
Vt sunt in fœtu monstra bicorporeo.
Sic chorion duplex, sic omphalus vnus, & alter
Vno confundi corpore mixta queunt.
Sed veluti natura illex quæ fecit abhorret,
Sic nihili facit ars hæc imitata ducem.
Atqui pro vetulis quod eundem certet in ipsum
(Si modo de geminis omnibus illud ait)
Ipsemet exemplum quo se defendere possint
Temporis, atque loci connotat indiciis.
Eius enim (memini) liber est epidemica tractans
Septimus, illustrem qui docet historiam.
Fœmina Dorisci (cuius fuit incola natus
Terpida vulgari nomine notus ibi)
Quinto mense grauis, geminorum fasce, cadendo
Cæpit abortiuo læsa dolore premi.
Mox vnum exclusit chorio veniente, sed alter
Substitit, & fratri noluit ire comes.
Aegra matre licet, denis quater ille diebus
Scribitur in ventris delituisse sinu.
Tandem vi morbi matrem quassante, sequutus

Qui geminis etenim chorion non amplius vnum
Talibus haud tribuunt, hoc rationis habent.
Omphalus vni vnus stirpi datur: ille secundam
Cum venus profert, cumq; parenchymate.
Ex illa per eas sua nutrimenta tenellus
Fœtus habet, saturo quæ trahit ex vtero.
Si chorion commune foret, communia vasa
Illa essent, per quæ victus vtrisq; meat.
Singula cuiq; tamen nascenti appensa videmus
Intra imos medii corporis ire sinus.
Singulus ergo suum chorion, ceu vasa tenebit
Omphalica intra vteri qui latet antra puer.
Hæc quidam. Nostris aliud placuisse videtur,
Naturæ quanti est scire latentis opus:
Nam quid obest (dicet Cous præceptor) in vnum
Ne chorion duplex Omphalus ire queat?
Si se contigerint geminorum vasa vicissim,
Iis vnum mixtis mixtum erit & chorion.
Inde per Omphalicos trahet hac, illacq; meatus
Priuatim allectum stirps sibi dupla cibum
Vt multas vna fibras pandere videmus
Ab radice vno semine progenitas;
Vtq; eadem radix per eas nutrita vicissim
Pluribus est ramis vnita sæpe satis,
Sic genitura potest chorion multiplici textu
Edere, quod geminis sit satis alueolis.
Hæc sint de geminis obiter perstricta; sed illis
Quos vno gestat semine fœta parens.

Ast alios omnes duplex ea culcitra nectit
Diuersis vteri singula quenque locis.
Hoc in multiparis animalibus experiens vir
Obseruat claro clarius esse die.
Πολλυτόκȣ generis mulier cum viuat, eodem
Cur non illa dabit iure puerperia?
Quicquid id est, pariunt animantes pignora partu
Vno diuersos visa referre patres.

INTEREA ex dicto Hippocratis memor esto priore,
Quod iam fœta superfœmina fœtificat.
Inde fit, vt variis vterum conceptibus vnum
Distenta, hos vno tempore non pariat,
Sed cum maturum peperit, sæpe edit abortu,
Post genitum mater bis grauis exanimem.
Id probat euentus. Sed nunc exempla referre
Non procul hinc nobis cognita vera duo
Non vacat: à cœpto nimium discedo priore,
Quanquam etiam primis posteriora quadrant.
Ecce cachinnaris paradoxon id esse quiritans
Quod loquor: at mihi res cum ratione fauet.
Si tibi nec ratio nec res satis esse videtur,
Auctorem dedimus quem colis Hippocratem.
Nunc edictum eius meditor ratione probare,
Hostis in hunc si quis dicere sponte velit.
Ad chorion veniunt ex fœtus ventre meatus
Omphalici per eos vt trahat ille cibum.
PA. *Sunt tamē ex chorio quibus Omphalus ire putatur*
In fœtum, contra quos tibi bella paras.

Obstas

Obstas ne properem. Veteris tibi non placuisset PL.
Discipulo Samii lex taciturna senis.
Sed rogo cur chorion potius foret ortus eorum
Intra vterum matris dum genitura latet,
Quam vena porta sint intestina, lienue
Natis principium, ventriculiq; caro?
Namq; fit vt simili, sed non simul vtraq; nobis
Officio prosint, tempore quaeq; suo.
Iis velut infanti trans hepar ductibus ad cor,
Sanguinei trahitur portio cocta cibi,
Perq; ipsos ab eo vitae venit aura secundis,
Qua sine succus ibi qui latet esset iners,
Sic per id attractu cordis vescentibus aura
Aetherea fortis potus, & esca meant.
Iis ita propositis subducta collige mecum
Id ratione refert quod breuis Hippocrates,
Omphalus ex iecoris vena de corde profecta
Vas habet irriguo sanguinis amne fluens.
Vestis ei simplex; sed eodem ex viscere duplex
Vas splenem versus transmeat ima petens.
In geminis vno conceptis semine, vasa haec
Sunt vtriusq; adeo saepe propinqua sibi,
Omphalus vt duplex chorion concurrat in vnum,
Tracturum ex vtero quod sit vtrisq; satis.

PALÆOMANES.

ECCE iterum nobis noua cantio. Nam paradoxos
Adscribis cordi, quod schola dat iecori.
Non bene iacta super tibi fundamenta nouatur
Officiens medicis structio luminibus.

Nunciat ergo nouum tibi noster iudice phœbe
Cœtus opus. Phœbo iudice lite cades.
Hippocratis nostri primos deus arbiter ille
(Si forsan nescis) scribitur inter auos.
Scilicet in chari nigrum præfiget amicos
Symnistas iudex theta nepotis auus.
In te Graia sui iurans in verba Galeni.
Atq; Arabis surget barbara secta ducis.
Fumosus veniet Paracelsi exercitus, ignes
Tartareos minitans, sulfureasq; faces.
FI. *His ego (quando sibi nil cum rationibus optant*
Esse rei) longum mando valere libens:
Relligiosa illos veneror pietate sacroq;,
Vt diuis supplex quæ paradoxa vocas,
Sed (scio) cessarent illis paradoxa vocari,
Audirent si quæ nos noua causa mouet.
Nam si principiis respondent orta, soletq;
Fonticulo similis riuulus esse suo,
Quis non fibroso venam de corde cauoq;
Fibrosum atq; cauum corpus habere putet
Ac non de mixto quasi cruda sanguine carni,
Quæ rude constituit, conglomeratq; iecur?
Non nego quin scriptis hæc sint aduersa Galeni:
Sed mihi fautor adest magnus Aristoteles:
Quin facit Hippocrates cor fontem sanguinis, ergo
Non alio natum hoc vas decet esse loco.
Sæpe illi fateor scriptum secus esse: sequutus.
Tunc tamen (vt reor) est sensa recepta patrum.
Attamen in cunctos à nostris stare videtur

Partibus

Partibus id sua quo quisq; probare solet.
Nam cum subsidio sensus ratione magistra
Vtentis cuncti vel noua rite probent,
Hac etiam præter quorumuis scripta sciendi
Instrumenta mihi bina fauere queunt.
Iis positis (salua medicarum pace scholarum.
In nouo queis fœtus est sensa venire pudor,
Non modo non venient ob id immutanda medendo
Multa, ægris damni prodeat vnde timor,
Sed potius certa melior spes vtilitatis,
Affecti nota principe parte loci.
At quia nos alio pensum vocat, exiguisq;
Materies elegis currere tanta nequit,
Pluribus abstineo. Nam iudex noster Apollo
Vix dabit vt versu liberiore canam.
Forte erit vt posthac fretus musa auspice scribam
Commodius veri quod mihi suasit amor.
Quamuis hoc posito iecoris splenisq; receptum
A medicis per te corruat officium,
Et sit ob id formas mutare necesse medendi
(Quod nequeat radiens ipse vel Hippocrates)
Sint tamen illa volo quæ nobis somnia narras
Vera: licet præter somnia nil mihi sint.
Ergo iecur tibi sit cor, pulmo, arteria, vena,
Sanguis vtrinq; fluens, omphalus atq; lien,
Quod petis, & veteres alio migrare colonos
Hospes præcipiens in noua regna veni.
Sed quæ de geminis vario nascentibus ortu
Nec patris vnius semine progenitis,

PA.

Tum quæ de choriis illorum plurima garrit
Disparibus ludens hæc tua musa modis,
Ad causas fœtus tamdudum in ventre morantis
Quis non quam nihili sint facienda videt?
Eludis nimium longis ambagibus, id quod
Succincte fueras scribere pollicitus.
PI. *Quid si etiam neruos ab eodem viscere primum*
Fibrarum audieris ducere principium?
Quid si sensifici primam debere vigoris
Scintillam cordi constiterit cerebrum?
Quid si tres veluti cordi præstare culinas
Pulmones splenem, scripsimus atq; iecur,
Sic cerebrum missam subiecto ex corde futuri
In nobis motus postea materiem
(Vtpote prætenues ex sanguinis amne vapores
Per fibras currunt quæ super ossa suas)
Concoquere, & propria vi coctos rursus eidem
Nempe reposcenti reddere principio,
Vt radiis omnes illustribus impleat artus.
Sensus, & motus vis ciet vnde suos?
Iis scio concessis mutanda venire medendo
Pauca, sed assuetis forte probanda magis.
Quo quisq; est melior, quo doctior, arbiter idem
His spero nostris æquior esse volet:
Sed quibus imberbes quod prædidicere fateri
Perdendum pudor est, ijs ego mando vale.
Imponunt iecori morborum exordia quauis,
Dent aliis quanquam paucula visceribus.

Vix

Vix tamen eiusdem vitio sine creditur istis
Vel minimam morbus lædere particulam,
Principis interea (cuius vis fertur in omnes
Particulas) cordis sollicitudo iacet.
Hæc alias melius fuerint si forte probata
Arbitrio medicæ qualiacunq; scholæ;
Namq; meis nolo (quasi sint consulta senatus)
Verbis absq; eius lege sit vlla fides.
Sed legem ratione regi præeunte precatus
Ad cœptum redeo quod mihi restat opus.

PROPOSITO *queritur me longius ire camœna*
Clauda, nec his olim cognita carceribus
(Namq; pedem nolens (me vim faciente) recenter
Intulit huc campi liberioris amans.)
Sed tuus è medio retrorsum sermo subinde
Me reuocat studio, nec properare sinit.
Attamen annueras vt pauca probare volenti,
Quæ nondum fuerant cognita vera satis
Ex patrum scriptis, aut ex ratione liceret
Vestigare illis surgeret vnde fides.
At nunc nec ratio, nec res satis esse videtur
Ipsa tibi, sed nec maximus Hippocrates.
Iure tuum simili mirari sperno sophisma,
Quod tam magniloquo turgidus ore boas.
Si quis enim vidi, tetigi, si deniq; feci
Dixerit, adductis testibus illa probans,
Hæc ego non legi respondes: omnia tanquam
Sint vel scripta olim, vel modo lecta tibi.

Sed qui lecta tibi primum scripsere, necesse est
Scripsisse aut quod eis antea visa forent,
Aut quod ab hoc primum qui viderat, audieratue
Audissent, sciri qui potuere secus?
Caetera ceu vana deliria Daedala mentis
Spernebat veterum candida simplicitas.
Est aliquid magno noua sensa auctore tueri
Vt decet, vtq; locus, materiesq; volunt.
Sed noua proferri ratio quoq; debet, vt illo
Ceu gemino quodam stet pede firma fides.
Nunc nisi quis pleno totos citet ore Galeni
Hippocratisq; libros serpet ineptus humi.
Id faciens auro vendit manifesta scienti
Se falli populo somnia vaniloquus.
Scribentum nomen miratus, numine veri
Spreto, nil veri quam simulachra colit.
Mancipium falsi dominam non ausus adire
Penelopen famulae flagrat amore procus.
Noui ego qui scilus dum vult praedoctus haberi
Sic amat auctorum verba referre memor,
Vt puerum saeuo credas dictata magistro
Reddere, vel mysten verba sacrata loqui.
Hoc agit obtrudens scriptores cautus, vt illo
Ceu clypeo tutus pectus inerme tegat.
In sua si cogas alienis ire relictis
Irus erit subito qui modo Craesus erat.
Non aliter quisquam sensus communis inanem,
Et vacuum solida se ratione probat.

Furtiuis cornix nudata coloribus isto
More fuit volucrum fabula facta gregi.
At tibi quando libet sic insanire legendo,
Scriptis vt plusquam sensibus attribuas,
Postponam quicquid sensus ratioq; ministrat,
Ex veterum scriptis hac noua nostra probans.
EX IOVIS ALCIDES, ex Amphitryonis Iphiclus
Semine, fasce vno est ventris vterq; satus.
Tempore non vno genitos vna edidit hora
Multum dissimili semine fœta parens.
Fabula narratur vero pro teste. PI. *Sed optas,* PA.
Scripta vetusta dari, scripta vetusta damus.
Ista quis ex veterum monumentis eruta priscis
Nescit? PA. *At historicis certior esto fides.*
En tibi de multis vnum quod prodidit atas PI.
Illa prior scriptis tale puerperium.
Ediderat geminos Proconeßa, sed ille marito,
Hic natus seruo est omnia persimilis.
Concubitu fuerat non vno natus vterq;,
Attamen in lucem venit vterque simul.
Hanc ex Græcorum descriptam annalibus ad nos PA.
Transmisit senior Plinius historiam.
Vis exempla dari libris descripta Latinis, PI.
Græcorum dictis credulus esse timens?
Hoc idem raro nascentes more Vopiscos
A priscis dictos autumat Ausoniis.
Id scribens opera partum hunc agnoscit eadem.
Sed potior medicis est adhibenda fides, PA.

Huic

Huic ego non credam paucis mendacia veris
Cum sine delectu misceat innumera.
Aequius est medicis medicæ credatur vt in re,
Sutor de crepidis arbiter esse potest.
PI. *Temporibus patrum medicæ Gordonius artis*
Scriptor, & in praxi creditus Hippocrates
Prauius, & primi gestans insignia pili
In morbos iuuenes ducere suetus erat.
Ex pulchro scribit quandam peperisse marito
Formosum puerum, consimilemq; patri.
Illa eadem (nondum vacua matrice) diebus
Post paucis alio est functa puerperio.
Matris amatorem primus referebat apertis
Indiciis, quibus is notus adulter erat.
Deformi genitore satus deformes habebat
Conspicuas alter patris vbiq; notas.
Si proprio est similis conspectus vterq; parenti,
Sic humeros, oculos, ora, manusq; gerens,
Præterea vario si tempore fœtus vterque
Iusta creditus est editus esse die,
Tempus oportebat materno in ventre morandi
Impleßet nato fratre relictus ibi,
Atq; adeo vario generari tempore binos
Et grauida incolumes posse patere locos.
ECCE RECENS *aliud quod si de pluribus vnum*
Audieris, dices, desine plura; sat est.
Maturum peperit quadam Germana secundo
Euentu, intra vterum nil superesse putans.
Alter

Alter vix quatuor conceptus mensibus, atq;
Exiguus, tenuis, molliculusq; puer,
Et prima referens in corpore signa figuræ,
Vno post natus scribitur esse die.
Depulerat matrix partu commota priore
Hunc lochii mersum flumine sanguinei.
Hoc fine, vitales (dubio procul) isset in auras
Tempore maturus fœtus & ille suo.
Vir grauis, & nulli scriptis non notus, apudq;
Germanos medicæ nomine clarus opis
Dodonæus ait. Quorsum mendacia cum res
Nullum mendaci fert operæ pretium?
Hora, dies, mensis, scripto signantur & annus
Aequandæ primis partubus historiæ.
Ne triuiale puta quod is obseruare, velutq;
Mirum aliquid voluit scribere doctus homo.
Ecce iterum rides. IGITVR de more medentum
A simili capiat res dubitata fidem.
Nam stirps multiparis vno numerosa quibusdam
Partu non vnum visa referre patrem
Id fieri plerunq; docet. Fas esse putamus
Hæc conferri illis hactenus à medico.
Parcat relligio, parcat reuerentia gentis
Humanæ; amborum est par prope conditio.
Secta sit à medico bos, simia, capra, catella,
Sus, pecus, & leporum fœmina ventre grauis.
Secta sit & generis nostri fœmella volenti
Scire quid intus eis pars Deus indiderit.

Menti-

Mentibus exceptis (quarum est cœlestis origo)
Atq́; aliis paucis cætera conueniunt.
Vix erit opponat quisquam (nisi certè iniquo
Iudice) quod tanta sit ratione prius:
ERGO *liquet vario sata quadam tempore posse*
Edi non iisdem pignora temporibus.
Stat sua cuique dies veniendi in luminis auras;
Et sua legitimi temporis integritas.
Rara auis, at spatiis longe distantibus ille
Maturat nasci cui genitura prior.
Succedit fratri longo post tempore frater
Incolumi, & viuo, viuus, & incolumis.
Nos apud haud pridem res non semel acta probari
Nunc etiam viuis testibus ista potest.
Talia rara licet mihi sunt bis visa stupenti:
Vanus erat mihi quæ tunc recitare labor.
Nunc quod inexperti nondum videre medendo,
Hoc oculatus eis, experiensq́; loquor.
QVID *mirare stupens? medio mola tẽpore grandi*
Sæpe ruit grauidis absq́; puerperio.
Siue autem fœtis de semine sumpta virorum
Inualido fit tam bruta rudisq́; caro,
Siue fit è solo muliebri semine, quod se
Fœminei posthac amne fluoris alat,
Sæpe tamen vulua fœtũ diuturnius hæret,
Subducto pueris crescere sueta cibo.
Qui DEVS *in nobis solita quasi lege gubernat*
Omnia, sæpe nouo plurima more facit.

Sed

Sed mens cœca hominum tanti secreta magistri
Scrutando densis cespitat in tenebris.
Ex iisdem sequitur iam fœta vt vulua patescat
Conceptura eius pignora quæ geminat.
It tamen infitias horum sententia, fœtam
Qui nisi quando parit posse patere negant.
SED redeo ad causas fœtus sine pure retenti
Elusiq; diu fata puerperij.
Exiui fateor sse longius, at redeunti
(Nondum vesper adest) vir bone pande fores.
Conueniant igitur vulua, fœtusq; vicissim
Vulnera, sed dictis neutra recepta locis.
Hoc cedo qui fiet? si totas teste Galeno PA.
Sperma recens vuluas occupat, idq; tenax?
Semine nam crescit chorion crescente, ministrans
Illi pascendo quod satis esse queat.
Omnibus affigi chorion tunc ergo necesse est
Expansum interni partuculis vteri.
Sic fiet chorio interstante, vt nulla locelli
Saucia pars fœtus tangere membra queat.
Hoc tibi, (ne spera fieri sine puluere victor)
Non damus, vt tibi vis quodlibet esse datum.
Id certamen ego mihi decertasse videbar, PL.
Et vicisse, tamen rursus ad arma vocas.
Cautior in reliquis nimis hac in parte Galenus
Priscorum scriptis credulus id docuit.
More suo propria (res est non parua) cadauer
Præstiterat grauida dissecuisse manu.

At

At non ingratus sic audio scripta magistri,
Nil vt in hac falsi re docuisse velim.
Nam veluti pudor est eius non credere scriptis
Discipulos, sic est prodere vera nefas.
CONCEPTVM *fateor complectitur vndiq; semen,*
Et totum placido vulua calore fouet.
(Hoc est quod voluit mens (vt puto) dia Galeni
Anceps lectorem scriptio ne cruciet.)
Sed quæ viuidior pars seminis intus habetur,
Alterutrumne latus fœmina masue petit,
Cui primum parti loculorum occurrit, adhæret;
Et chorio proprium dat retinere locum.
Cætera pars vteri non est affixa secundis,
Vt spatio ludat liberiore puer.
Illic ergo vterum lædi supponimus, illic
Hærere infantem vulnere continuo.
Hæc aliena fides errandi maior eidem
In prægnantum vteri corpore causa fuit.
Detulit hic etenim nimium scriptoribus idem
Forsan ob id grauidas segnius exsecuit.
Quo prægnans matrix fœtu mage tenditur aucto,
Hoc magis exili corpore constat (ait)
At secus est oculis testantibus, & ratione
Sensibus haud dubiam conciliante fidem.
Vesicæ simili non constat corpore vulua.
(Vt reor errandi hinc causa suborta fuit.)
Illi duræ magis substantia nectitur, isti
Mollior, & magis est obsequiosa caro.

Spongia

Spongia fungosos non tot habet illa recessus,
In quibus hospitis est, prima culina noui.
Excipit, & vacuat stillantia lotia cystis,
Nulli praeterea subdita seruitio:
Excipit, & retinet muliebria menstrua matrix
Vt coquat, & puero praeparet inde cibum.
Plura puer maior sibi vult alimenta minore
In maiore eius mole reposta coqui.
Inde est vt partu sit spissior illa propinquo,
(Sit licet haud vllo tempore tensa magis)
Quam dum fœtura nondum praesente, vel ipsa
Incipiente illic nilue parumue tumet.
Hactenus haec. Nunc vt quod nobis instat agamus
Ad prius incœptum nos referamus iter.

ERGO persanet natura vtrosq́; priusquam
Partus eat; fieri quae peto cuncta queunt.
Certe ita sanatos fœtum fœtusq́; parentem
Vt volo, quodq́; mihi postulo iure dari.
Ambos vna (inquam) velut compage cicatrix
Sic iunget, nequeat partus vt inde sequi.
Namq́; suo quamuis soluantur tempore fœtus
Vasa quibus medio ventre solebat ali,
Non tamen explodi nisi cum matrice sequente
Ipsa haerens vuluae sarcina dura volet.
HAEC puto frustrati vera est occasio partus,
Euentu causam testificante suam.
Nam duo (nempe vteri fœtusq́;) cadauere secto
Corpora sunt vno nexa reperta loco.

Forte bicorporeis monstrosa figura gemellis
Sic sibi consertis inde venire potest.
IAMNE tibi satis est hac factum in parte? tatendo
Consentis? vires collige, nec fugias.
Hæc tibi, queis in me decertes arma ministro:
Quæ propius feriant cudere nulla potes,
Sed quo sint clypeo mox excipienda docebo,
Quaq; tuum repetant arte retorta caput.

PA. *SIC igitur dicas, iis quæ tibi tradimus armis*
Instructus, tua cum sint modo rapta tibi:
Hæc Rossete duo tibi dono. Nempe locellos
Cum fœtu lædi non parientis ob id.
Vtraq; præterea sanescere vulnera, sed quæ
Coniunctim sese tangere posse nego.
Nam quæ sudorem fœtus membranula seruat
Amnios, hanc omni proxima parte tegit.
Altera succedens crasso magè corpore constat
Vrinam pueri ventre latentis habens,
Tertia porro ambas, superextat, multipliciq;
Vasorum textu pignus id omne tegit.
Vtraq; primarum tactu defendit ab acri
Salsæ pignus aquæ, molliculamq; cutim.
Præterea intra vterum præbent crescentibus vsum
Culcitrulæ, cui tunc molliter insideant.
Post duce natura quadantenus vtilis humor
Ad bene nascendum præparat vdus iter,
Hoc ni fiat enim, laceris sed diffluat humor
In tunicis, & quæ tertia, germen alit,

Mox

Mox erit vt sensim fœtura macrescat in aluo
Aridula, nasci postea difficilis.
Ergo nec illa queunt vniri vulnera secum,
Vtpote tunc mediis dißita corporibus.
Hic primum tua prima negans postrema fatebor PL.
Pleraq; , sed tibi plus quam nocitura mihi.
Si vasa excipias alimenti longa, parentis
Cum fœtu vuluam vincula nulla ligant.
Nam quamuis eadem fœtumq; , vterumq; vicißim
Coniungant nexu liberiore sibi,
Dicere vasa quidem potes, annonaq; meatus
Atq; auræ ductus (si placet) ætherea:
Vincla tamen non sunt, nec enim firmatur ab illis
Intra matricis paruulus antra puer.
Iis affixa quidem mordax placentula nexu
Hæret, sed pignus non ligat illud alens.
Attamen eius amans vterus conseruat amore
Alterno captum, sicq; fouere solet,
Vt nisi quid violens ambos offendat, in illo
Gaudeat hospitio mensibus esse nouem.
Longa vides ea vasa, cibum mora longa laborat
Sanguineum fœtus quam breuis vtilius.
Sed contra breue quam productum firmius arctat
Dißita, quod vincli fungitur officio.
Sæpe autem gyro fœtum multiplice nodant
Gaudentem vario membra mouere situ.
Sed nisi præcoctas in eis anfractibus auras
Per ventris medium mater amica daret,

Eliso multi morerentur gutture, nondum
Edendi, chorio non veniente foras.
Iis cibus, iis aer animalibus vtilis intrat,
Cum gula, cum pulmo deneget officium.
PA. *An tamen in fœtu geminans arteria vestem*
Pulmoque cum cordis corpore se moueant,
Nũc Medici certant. PI. *Sed adhuc sub iudice lis est*
Lis non hic, sed alio dirimenda foro.
SED volo succingat totum omni ex parte puellum
Intra fœmineos trina secunda sinus;
Lædi sæpe solent prægnantum in ventre: sed illis
Sæpe fit vt ruptis qui liquor intus erat
Præpropero grauidis labatur tempore, citra
Interitum fœtus, matris & exitium.
Inde fit vt fœtus non impediatur ab illis
Parte aliqua vuluæ tangere posse latus.
Amnion haud magno dicunt persæpe periclo
Disrumpi in grauidis ante puerperia.
Attamen est scripto testatus Arantius istis
In perscrutandis partubus experiens
Quadrupedum tunicas tres esse in ventre parentũ:
Sed nos contentos esse duabus ait.
Rumpitur interdum grauidis Allantica, nec tunc
Est grauius multis sæpe puerperium.
Hæc siquidem meninx non aduertentibus (vt fit)
Rupta, (quod in teneris fit cito corporibus)
Infantem totum sæpe haud complectitur, imo
Vix caput in rugas tota retracta tegit.

Tunc,

Tunc, vitta ritu, nascentes sæpe coronat,
Quod vetulis lætum vergit in augurium.
Sed quis eam, quamuis ruptam, concrescere iuncta
Cum vulua & fœtus vulnere posse neget?
Crescit enim, pueri crescentis more, velutq;
Matrix, fœtu aucto, redditur aucta magis
Tunc cedo quid probibet se tangere corpora, queis
(Vt posui) gemino vulnere læsa locis? (sunt,
Sed quota quæq; isto pragnantum illæsa madore P A.
Non flueret? PI. *pudor has id reticere iubet.*
Paucus is est, qualiq; tener non læditur infans:
Lædere nec potis est os muliebre fluens.
De multis igitur mouet hinc vix vlla querelam,
Nescia, cui posthac sit mador ille bono.
Optandum, fateor, foret hunc stagnare, valerent
Haud dubie melius fœtulus, atq; parens.
Atqui de nihilo non est, natura quod intus, PA.
Quantumcunq; potest, hunc retinere studet.
Nam nihil illa facit frustra, patiturq; libenter,
Quod non tandem aliqua commoditate iuuet.
Cum tamen est robusta, potest illæsa quibusdam PI
Auxiliis sapiens ipsa carere suis.
Vtile quicquid agit, non est id vbiq; necesse;
Quin locat vtilium non pare sede gradus.
Si tamen, omnibus iis laceris, vrina, madorq;
Præpropero grauidis tempore mixta fluant,
Fœtus marcescit, mater sic sæpe putrante
Cum fœtu moritur non paritura suo.

Hac prius acciderat Senomensi fluxio sæpe
Maturum (vt prohibent) ante puerperium:
Inde mali labes fuit altera parturienti,
Sed mage, quod fœtus noxus erat loculis.
Irritus inde fuit puppolabor, vsq; volenti
Vitalis primum corpore lucis iter.
Ergo nec illa neges se vulnera tangere posse,
Vtpote tunc nullis disita corporibus.
Sed cur non vtero fœtura cohæreat? hæret
Annosa crescens embryo sæpe mola.
Quin ea matrici nexu concorpore multis
Propensa ad mortem ventre ligata fuit.
Atqui non raro, fœtus de more, volucris
Pluribus ambitur degener ista caro,
Talia visa mihi taceo nonnulla. Legatur
Scriptor in iis dignus Valleriola fide.

PALÆOMANES.

Accidit id forsan, sed mox putrentibus. PI. *Ergo*
Cur non putruerit, scribere pauca placet.
Prorsus id ex nexu fœtus, vuluaq; tenace
Euenisse illi, non aliunde potest.
Namq; trahens succum vitæ vegetantis ab alua
Cui concretus erat, nesciit esse putris.
Humor is in talem prope se vertebat alendi
Materiem fœtus, viscera qualis alit.
Hinc excrementi puero minus obfuit, vnde
Perderet hunc succis sanguis inutilibus.

DONO

DONO igitur, quod postquam epigastrica vasa vo-
Prodire in lucem, nulla alimenta dabant: (Iti
Non homo, non animans (anima potiore carendo)
Esset eo vegetans membra calore caro.
P O S T E A duritiem produxit adultera quædam
Naturæ proprio functio fine carens:
Qualis vexat eos, quibus est pituita molesta
Partis, & humoris coctio deficiens.
Pars siquidem succi sensimq; diuq; fluentis
Congerie turgens si male digeritur,
(Algeat an caleat non refert) iudice tactu
Reddi continuo tempore dura solet.
Fontibus in calidis concrescere namq; metalli
Huius, & illius corpora sæpe vides,
Sæpe vides etiam lapidescere ligna sub vnda
Ad sensum rigido frigidiore gelu.
Id Boreæ (vt perhibent nonnulli) frigus, & ardens
Sub cane Phœbeæ lampadis æstus agunt.
Idem limus enim pariter durescit, & aret,
Amborum oppositis viribus id patiens.
Congener est vitris crystallon in igne coactis
Frigore concrescens, perpetuoq; gelu.
Siccat vtrumq; tamen, duratq; (at dispare causa)
Mulciber illa, sed hoc frigoris improbitas.
Vtraq; sic autem solidat, sic durat vtrumq;
Corpus causa sibi singula dissimilis:
Vt molli nunquam sint sponte humentia fluxu,
Sed formam facies par docet esse parem.

Vt taceam lapides, quos ren. vesica, iecurq;
Intus alunt, iis est si via lata parum,
Cernimus effossis testacea corpora scirrhis
Squamas, saxa, pilos, & lapidosa trahi.
Inde fit, vt quamuis iamdudum auulsus, & omni
Palpatus varia nocte, dieq; manu,
Debuerit fœtus macer, & vix ossibus herens
Totus rugosa flaccidus esse cute,
Non tamen is fit ob id partu rugosior illo,
Qui tempestiuus nascitur, estq; recens.
INDE etiam pateat curnam permanserit illic
Tamdudum putri sarcina sorde carens.
Corpora sicca minus sunt putri obnoxia tabo
Humidulis semper, duraq; molliculis.
Fœtulus ex illo nexu viuebat, vt arbor
Insita, vel pigris tuber in articulis.
Matrix namq; oneri victum qua parte coibat
Artubus ingratis reddita sana dabat.
Si crura, & suras tenuat, sic brachia circum
Durus in articulo tophus, & osse tumens.
Hinc matri macies, similisq; per omnia morti
Membra color (quanto tempore vixit) erant.
Inde aliquo vixisse tenus contendimus: at non
Vltra, quam scirrhis, arboribusq; datur.

PALAEOMANES.

Hæc si quam stabili ratione statuta videntur
Esse tibi, gratis quæ dare nemo potest,

Tam foret id certum, quo tempore cœpit in illo
Mixtim coniungi vulnus vtrumq́ loco,
Maius forte tuis paradoxu esset apud nos
Pondus, an hoc etiam quæso probare potes?

PI. *Si quisquam dubitat prius, an post tempora partus*
Legitimi loculis nexa puella foret,
Ante diem partus concreuerat; idq; diebus
Non paucis adeo firma, tenaxq; caro.
Quo sensus nequeunt, mentis vigor intret, vt iisdē
Cedere, cum ratio deficit, ille solet.
Nondum legitimo pariendi tempore fœtus
Viuus erat, cœpit protinus inde mori.
At matris loculo fœtus sic mortuus, vt iam
Putrere incipiat, se sociare nequit,
Nam si quod moritur fuit ante putredine tactum,
Aut saltem primo mortis in articulo,
Tunc iam nil superest, quod partes iungat vtrinq;
Dissimiles similis fœdere coniugii.
Putria sic etenim sanis consuescere nolunt,
Vt se perpetuo vitaq;, morsq; fugant.
Ergo necesse fuit, dum vita humana manebat
Huic massæ ante ortus tempora iusta sui,
Hæsisset iam tunc loculis: sed fonte trabebat
Ad se de gemino tunc ea massa cibum.
Parturiente autem necquicquam matre, puella
Semiuigens cœpit tum quoq; semimori:
Sic non maturum quia tunc viuebat, adhæsit
Viuentis vulua partibus illud onus.

Postea

Postea sed moriens (quamuis vegetabile robur
Hinc traheret) necti primitus haud potuit.
Inde simul constat, cur non putre tempore tanto
Semianima massa semicadauer erat.
ATTIBI nunc meditor naturæ obsistere mystes, PA.
Illa querens dirimi, quæ dirimenda negant.
Est nobis anima, ac vitæ substantia simplex,
Quamuis illa tribus seruiat officiis,
Quæ vegetat, sentit, fruitur quæ mente, nihil sunt,
Tertia si reliquis desinat esse comes.
Cum moritur fœtus, si mens super astra recedit,
Qui vegetans igitur vis remanere potest?
Huic etenim massæ vegetam adscripsisse videris
Vim post fata, tui si potes esset memor.
Vna (scio) vegetat, sentitq;, mouetq;, sapitq; PI.
Quæ nostris anima est indita corporibus.
Cum pereant aliæ morientibus, vna superstes
Vis animæ supera vescitur ambrosia.
Nunc ratio, nunc mens, intellectusq; vocatur,
Aut si quod nomen dignius esse potest.
Facta fuit primum syncera creantis imago
Post ea corporea putida sorte fuit.
Sed Domini bonitas eius miserata ruinam,
Antiquum Nati cæde redemit opus.
Forma hominis vera est, animantis cætera brutæ
Propria censentur, stirpis & arboreæ.
Quanquam sublata, quæ nos vegetatq;, mouetq; PA.
Vi quadam ratio nostra perire nequit;

Nos,

Nos, ratione tamen cœlum ſubeunte, videmur
Cum ſenſu, & motu perdere quod vegetat.
Si vegetans igitur virtus poſt fata receßit,
Nec decimo viuens hæc homo menſe fuit,
Dic cedo quo potuit vegetatria illa facultas
Extincti pridem corporis eſſe loco?
Hæc etenim demum ſola eſt, putrere cadauer
Quæ vetuit, dicti es ſi memor ipſe tui.
Hoc age, nuſquam alio te transfer, totus in hoc ſis,
Serius & quod agis, ſedulus illud age.

PI. *Quod petis id volui, verum importunior vrges,*
Ad quiduis præceps, impatiensq; moræ.
Hæc caro, dum viuens, nec dum parienda maneret
Iuncta vtero ſanis vndiq; corporibus.
Alueolis medium ventrem ſubeuntibus (vt nos)
Sugebat vegetas in ſua membra dapes.
Altera præterea, quà ſe duo corpora parte
Vnierant, vegeto eſt porta nouata cibo.
Verum vbi vaſa quibus primum nutrimur in aluo
Diſſiluere, mori paruula cœpit homo.
Nempe carens victu, nec habens ſpiracula, quinam
Viueret, humentis merſa cruore loci?
Quid faceret? iunctamne ſibi, teſtudinis inſtar,
Ipſa domum naſcens tergore deveheret?
Sic ea pro geminis caro fontibus ante rigata
Simplice poſt cœpit viuere fonticulo.
Nam fuit ante tibi duplex vegetantis origo:
Sed tota eſt decimo perdita menſe prior.

Compos

Compos enim sensus cœpit, motusq; perire,
Mox vt in æthereum mens remeauit iter:
Ast ea, quæ partum venientem eluserat, illi
Quod potuit massæ gratificata dedit.
Sed rationis egens motu, sensuq; carendo
Non homo, non animans est ea visa caro:
At potius cæsa venientis ab arbore vitæ
Taleolis aliquo nomine digna fuit.
Hæc non sunt ægri deliria: namque probare
Id vulgo, & doctis paruula planta potest.
Altius ex viuis surgens radicibus arbor
Flectitur, vt frondem tecta recondat humo.
Tẽpore fit radix, modo quæ coma summa virebat,
Inter quam, & truncum virgula tecta iacens,
Vere sequente tumet gemmis, folioq; superbit,
Quosque dat iis succos, parte ab vtraque trahit.
Nam vetus arbor alit frondem cũ prole, sed illud
Et coma, quæ radix est modo facta, facit.
Inde fit, vt si frons è fronde enata recenter
Hac possit succi viuere parte noui,
Truncus ei deinceps fit inutilis, & sine damno
Abscindi à trunco frons queat illa vetus.
Frondator medium si ramum interfecet, illi
Vbere subtrahitur victus ab arboreo.
(Ast aliunde illi vita est, fuit ergo resecto
Huic ramo vegetans missus vtrinque vigor.
Sic prior hac vegetans ratione abeunte facultas
Dum fœtus nasci nescius interiit,

Quamuis

Quamuis prima foret fuso cum germine iuncta,
Cum sensu & motu est perdita tota tamen.
Sed quæ legitimæ successit degener isthæc
Altera vis quædam, restitit vsque tenax.
O si frondator connexa hæc corpora prudens
Sciuisset quinam tunc dirimenda forent.
Credo ego (nec mea me fallit sententia) diuo
Posset adorari sanctius Hippocrate.
NEC modo sic plantæ iunguntur vtrinq; tenellæ
Mixtim confuso corpore, sed veteres.
Corticibus pariter cæsis simul amlaqueantur,
Et longa fiunt vnica planta mora.
Ambiguæ ramos plantæ, fructusq; biformes
Mala peregrinis patria mixta pyris.
Radix bina fouet, truncis alimenta duobus,
Obducto vnitis cortice contribuens.
Horum subsecto viget alter trunculus vno,
Amborum arboreis dans alimenta comis.
Planta biceps, eademq; bipes concorpore trunco
Iuncta, vele crure vt secta sit alterutro.
Ex pede qui restat vertex productus vt alter
Se mendicati fonte vigoris alet.

PALÆOMANES.

TALE tamen grauidis symptoma fuisse videtur
In nullis, quale hac pingis in historia.
Cur non mille alias tot iam labentibus annis
Prisca ætas matres sic periisse docet?

Credo

Credo fuisse olim: sed (quæ est incuria nostri PI.
Ordinis, aut præceps temporis articulus)
Nullius illarum sectum est à morte cadauer,
Ignoti foret vt cognita causa mali.
Quæ natura exlex agit, est mage sæpe necesse
Noscere, quam solitis quæ facit vsa modis.
Talia namque patent sectoribus obuia, quali
Hippocratis melior lectio nulla datur.
Nam tunc naturam quasi res aliena molestat:
Hanc procul ergo abs se, qua licet, esse cupit
Talia si qua tamen medico sunt forte stupenti
Visa, sed in nullis prodita monstra libris,
Scribere vel timuit nullis credenda, pigerue
Distulit, aut forsan scribere non potuit.
Non leuiora etiam nunc nostras sæpe fatigant,
Quæ (passim quia sunt obuia) negligimus.
Præstaret putruisse vteros. Nam sæpe putrentes
Iussimus, & lapsos demere sospitibus.
Inde fit, vt forsan dum sano adnexa puello PA.
(Hoc obiter dictum si patiare velim)
Inde fit ergo, vt dum sano coniuncta puello
Matrix sana nihil promouet, vt pariat.
Credi nonnullis tua possit sectio tuta,
Consilij cum nil vtilioris adest.
Nam si tam vacua, quam fœta morbidus absque
Matris morte vterus sponte, vel arte perit,
Quid tunc non sperent, cum sana in parte necesse est
Certum (vel dubia spe) prohibere malum?

Attamen

Nititur in vetitum conceptus vastior æquo,
Vel male composito corpore progrediens.
Sæpe nocere solet veræ superaddita moles
Carnei fœturæ, mors venit vnde frequens.
Vnde autem fuerit partus data caussa morantis,
Expressum tota non fuit historia.
Ex vtero fœtus versum intestina putrente
Venerat ad summam putridus vsq; cutim.
Vt secta est (medico distentum pure tumorem
Esse rato) prægnans fœmina, nec patiens,
Erupit facto quo vulnere venter hiabat
In lucem grauidi pondus aqualiculi.
Quamuis vndecies quatuor plus mensibus illo
Fœtulus hæsisset mortuus in stabulo,
Integra membra tamen, sexusq; figura notabant
Natura pugnax qu[illegible] potuisset amor.
Quo nos vsq; tuis nugax eludere perges PA.
Mentitus miras versibus historias?
Cur non id fiat? si cor, cerebrumq;, iecurq;? PI.
Viuis sæpe diu seniputrere solent?
Sunt quibus à morbo est dudum putrente repertus
Hepatis in medio corpore cancer edax.
Nam licet hæc prisci fieri vix posse putarint,
Res oculis hodie permanifesta docet.
[illegible] nescio quæ putrentes balsama succos
Ex omni penit[illegible] parte putrere vetant.
A tabo, & carie defendit [illegible]roma cadauer,
Aer nullus eo si penetr[illegible] po[illegible] Et

Quin & ibi (miranda loquar) si lignea molli
Cœmento ædificans frustula miscuerit.
Tempore seruata ligni sub imagine fiunt
Natiuis saxis aspera saxa magis.
Est tamen humiditas (aiunt) putredinis auctor. PA.
Cur non ergo vndis talia mixta putrent?
Vt tibi gratificer, quod ais concedo libenter, Pl.
Dummodo sint calidis humida clausa locis.
Talia non tantum videas abscondita sub vnda,
E molli fieri corpore saxa tamen.
Aequa fides iis est, solida quæ viscera terræ
Aeris excluso corpore concipiunt.
Lucidus anguis enim quamuis sit corpore toto
Multiplici flexu, mollitieq; tener,
Cum tamen ob Boreæ frigus penetrabile terræ
In caua se recipit lustra teporis amans,
Quo dormisse prius positu, loculoq; putatur
Obstructo latebræ mortuus esse suæ,
Non modo fossorum nares non lædit odore,
Aut tactu putris noscitur esse caro.
Integer at serpens cum terræ parte tenacis
Concreuisse merum cernitur in lapidem.
Adde quod est lippis æque, ac tonsoribus vnguẽ
Notius, aspectu conciliante fidem.
Purpureas conchas, testasq; in saxea mixtim
Corpora durari, saxa vel ipsa probant.
Multis multa locis natura ostent[illegible] nte
Cernimus illius sic variata mo[illegible]

Ad sectam redeas. P I. *licet huic non arte magistra,*
Sed casu acciderit tale puerperium.
Haud mora conualuit penitus sanata q; matrix
Concepit rursus, non paritura tamen.
Parturiit, paritura, illi si fausta dedisset
Tunc ars chirurgi, quod prius auxilium.
Est quod mireris. Iamdudum saucia matrix
Sordibus extersis reddita sospes erat.
Menstrua namq; egrae manabant sponte, nec vlla
Puris lapsa olidi guttula deinde fuit.
Sed mage mirandum, tam largo vulnere ruptum
Abdomen sensim sponte coisse sua.
Conciderat moles posito rugosa tumore
Ventris: ob id plagae iunxit vtrumq; latus.
Dic cedo. Si matrix concepit ab vlcere tanto,
Redderet abdomen funditus et putridum,
Cur non sanescet cautis incisa periti
Chirurgi manibus, concipietq; ferax?
Contigit vt pariter foetus persaepe retentus
Attulerit multis matribus exitium:
Sed qui scrutari, vel scribere vellet ab vllis
Non credenda, licet cognita, nemo fuit.
Vidi ego consimili casu monstrosa vocari
Multa, quibus monstri nil nisi nomen erat.
Talia sunt nostri non pauca exempla libelli,
Sutor de crepidis arbiter esse potest.

PALAEOMANES.

 OBIICIO

Iam facilis dono nil descendisse, diuq;
Matrem ob id innumeris decubuisse malis:
Non tamen inde mori (quantumlibet illa feroce
Morte foret peior vita) necesse fuit.
Visitus id infestant mola nunc, plerunq; tumorum
Omne genus, puris copia, cancer, hydrops:
Tamq; diu infestant (illuc currente frequenter
Vndiq; protrusi congerie vitii)
Vt, sic principibus membris hac sorde leuatis,
Non sit ob id tabum putre necesse mori.
Illa quidem languent, sed viuunt: ægraq; morbo
Vel iuuenis senium se comitante videt.
Nec mirum, poßit cum fœmina viua carere
Partibus iis, nisi dum cogitat esse parens.

PALÆOMANES.

Sed mihi non satis est ea vita forma vigentis
Cognita, qua vixit carneus iste lapis.
Debuit esse satis, quod de ratione retenti
Tam dudum fœtus Musula nostra canit. PL.
Id leue: Sed tortum Musis agitare sophisma
Non placet, assuetis simplice more loqui.
Quo tibi mens peregre modo fugerat? an rationis
Vim vafer affectas dißimulare meæ?
Nam rursus dubitas, viuusne in ventre maneret
Tamdudum imputri fœtulus iste senex.
Iudicet ergo schola logicæ, medicæue Senatus
Vtra sit amborum causa putanda prior.

ure recollecta vigilans castigat abusus
uectos actis inde, vel inde suis,
in eis quaedam stupefactae semina flammae
rporibus, ne quid putre propinqua ferant.
anam viuis vicina inferre ruinam,
on sint ab eis ante refecta, solent.

PALÆOMANES.

V nus tamen, vel qui matrix alet arida fœtum
Viuentem succo deficiente senex?
Nam quibus est vitæ constans vsura, necesse est
Iis fluat ad vires esca benigna nouas.
Sed dare nemo potest, quod non habet. PI. Ergo tri-
Victor Io magna voce triumphe canis. (umphe PA.
Miror & hoc. Per quos matrix ita dura meatus
Si quid habet fasci suggeret vlla suo.
Rursus Io ingeminas, manibus post terga reuinctis, PI.
Dura velut victo nectere vincla paras.
Sic pergens in me certas quasi percitus œstro.
Extriar tecum, quo Scytha more solet
ist cum Palladius dubius Mars errat in arn
Sic vt nunc cedat, qui modo victor erat.
Oppono repetens breuiter quod torta tuorum
Syrmata verborum vana probare potest.
Nam quid opus vel mille nouas producere facti
Ancipit causas, qu d probat vna satis?
Salebrae.

n totum palearia pectus
ecci carne repleta mali,
è parte salubri
m suscitat auxilium.
grauis est vt in vrbe satelles,
ssus qui fore præsidio,
erans in quas hic influit humor
it, & iuris non finit esse sui.
natura facit, sed sponte coacta,
ecus mox peritura malo.
opere in viuis vicina putrerent
ontactu deteriora suo.
x quasi ductus, illius ergo,
it, vt vegetans vis penetrare queat.

PALÆOMANES.

on sunt eadem, quamuis vicina, tenelli
Fœtus, & vulua corpora læsa grauis.
Qualia (nempe vnum simul efficientia corpus)
Corpora sunt scirrhos dicta creare prius.
Ergo quis non recte aptas assumpta probandis,
natura cum sint vtraq; dissimilis.
teq; sunt eadem rudis, indigestaq; moles
Fœtura, & loculi pars caua fœminei.
go minus debent, quam fœtulus
Promptior à simili est transitus
Sæpe tamen secum, lente concreta,
Et vita, & mortis conditione pari.

PI.

Aa iii.

386

(388)

Cur non & scirrhus, fibris venisq; p... quo
Si vietum pariter fugit vtrumq; loco?
Degener est (fateor) nec propr... vita, sed eius
Aemula, quæ vegetans a... dicta fuit.
Nam veluti nobis mens vi... constat origo,
Seq; mouent sensu prædita bruta suo:
Sic istis anima quædam viuentis imago
Corporibus latitat, qualis in arboribus.
Omnia non vnam viuunt viuentia vitam,
... quod sunt ea sint, est sua cuiq; satis.
... neq; ... eadem nasi simul, atq; lacerti
... coniunctim visa coire tamen.
... iurant secto coalescere naso
... contactu brachia perpetuo.
... nouaq; truncato succrescit idonea naso,
Arte refingendo, carnea materies.
Prima Syracosii fuit hæc ars cœpta Panormi,
Italia medicis postea facta frequens.
Illud enim vidisse sua mihi dixit in vrbe
Ausoniæ quadam non procul Augenius.
AVGENIVS medica Taurini primus in vrbe
Doctor, & emissis notus vbiq; libris.
Phœbi deliciæ medicus, vatesq; PETRINVS
Montis Calleri publicus Hippocrates.
(Cuius cana fides, miranda scientia, rerum
Vsus, & integritas ac socialis amor,
In patriam pietas, fidei data tessera testis
Hospitij, inq; ægros officiosa manus.

Principe

Q... ennuū extera sin... menta, videmus
Quam solidis coea... corporibus.
Alitibus crescunt sic ... us vngues,
Ipsis vt iures cornua fron...e geri.
Præterea saxo tibi sint noua somnia, quæ nos
Scripsimus, èque scholis eiicienda putes.
Ecce ol·tor pro me valde opportuna loquetur,
Rusticula ostendens insitionis opus:
Nam sua ruricolis etiam sapientia tanto
Verior est, quanto cognita simplicior.
Argumenta trahis rationum hic multa suarum,
Naturam pueri cum docet Hippocrates.
At nihil astuto præter sua fit Scholiastæ
Magnum: Sunt ruri singula plena Iouis.
Surculus ex miti decerptus fronde, proculq;
Missus ab Eoo trans freta multa solo,
Saucius excipitur peregrina stirpis agresti
Caudice, quæ facto vulnere truncus hiat.
Hærent corticibus, defendit ab aere plagas
Molliculo musco subdita terra tenax.
...m calor & frigus, concussio, ventus, & aer,
Et quæ sunt hominum noxia vulneribus,
Arboreis etiam plagis inimica, vigorem
In fibris periment, corticibusq; situm.
Vimineis circum firmantur nexibus, vt sic
Hospita ligna quies, & mora concilient.
Ditite successu coeunt, & agrestis adoptat
Delitias arbor patria barbaritas.

Tanta

Et tuto poterat (nisi corpora nexa fuissent)
E secta sospes sospite matre trahi.
At sibi connexu tam firmo corpus vtrumq;
Hæserat, vt dirimi spes ea nulla foret.
Non igitur potuit quo noster Cæsar ab aluo
More trahi (fateor) carneus iste lapis.
Id si tentasset quiuis Iunone maligna,
Sector, ei fuerant cœpta futura probro.
Nam licet è nostri sperasset forte mereri
Exemplo veniam Cæsaris illud agens,
Non tamen exemplo quicquid committitur, aufert
Culpam de praua conditione rei.
Esse potest, vt dum, fieri quod præcipis, audax PA.
Aggredieris idem nescius inuenias.
At vero in terris auis hæc tam rara videtur PI.
(Quod vestrum nemo, credo, negare volet)
Quam forte extremi spectant elephanta Britanni,
Orbe vel in nostro cernitur ales Arabs.
Hæc ergo exempli nouitas suspecta fuisset,
Cæsaream matrem viuere posse probans.
Vt sit in exemplis vis constantissima, fas est.
Insuetum si quid grande paratur agi.
Nunc quia conueniunt in eo, quod neutra probantur
Scriptis, cum pateant obuia cuiq; tamen.
Hæc sibi coniunxi veluti conformia: quamuis
Non prorsus simili fœdere se socient,
NVPER ob id multis cum certa exempla putarem
Prodire inauditi facta puerperii,

Relligio tacuisse fuit, mendacia censor
Esse iubes, quia non scripta fuere prius.
Sed nunc in Senonum fœtu fumosa probando
Euolui veterum si monumenta iubes,
Saxoso es fœtu saxosior. An precor ante
Quam fiant, quisquam scribere facta potest?
Sed neq; scripta olim sunt omnia facta; sapisne?
An, precor, est cerebrum vir cerebrose tibi?
Nam quis te veterum descripsit mentu inanem
Qualis es, illa negans, quæ videt omnis anus?
Qui sibi diffidunt, alienis segniter ausis
Contenti, & nando cortice semper egent,
Ex imitatorum, Venusino teste poeta,
Sunt grege seruili mancipiale pecus.
Fucus es, & specie prudentis, transfugis horum
In numerum, scribens nil nisi scripta prius,
Qui verum, nisi quod muti docuere magistri
Nil putat, hic quo se damnet habere potest.
Hoc est quod volui, nostris hic terminus hærens
Imponat cœptis, litigiisq; modum.
Vt diuturna adeo tam duri tempora partus
Nemo patrum scriptis prodidit ante suis,
Sic etiam nostra, vel auorum ætate priorum
Cæsarei meminit nemo puerperii.
Sunt tamen ambo oculis subiecta fidelibus, illud
Nunc semel, at Cæsar sæpius iste meus
VIR BONE tale nihil scriptũ legis. Esto, pigetne
Hæc tam vicinis visere nata locis?

Sed

ed puto nec tibi tunc oculato credere testi
Permittes, si non scripserit Hippocrates.
Viueret is, natura olim dubitandus, an arte
Maior, viseret hæc tam paradoxa libens.
Mira minus nostris cupiens spectare Galenus,
In quibus audierat facta, vel orta locis,
Artem nequis eum medicam didicisse labore
Alterius solo diceret, atq; fide,
Obiecit variis terraq;, mariq; periclis,
Non sine difficili sæpe labore caput.
Quanquam doctrinæ tetigissent culmen, & artis
Ambo præ cunctis tempore vterq; suo,
Attamen vt plures rerumq; hominumq; tenerent
Naturas, patrium vertit vterq; solum.
Rebus enim quondam potius, quam magna pro-
Argutoue homini credere moris erat. (fesso,
SCRIPSERAT ille prius cerebri coalescere nun-
Vulnera, quæ post hic conualuisse videns, (quam
Quamuis instar eum coleret patris, hac tamen in re
Desiit absq; mora credulus esse seni.
Et merito. Nam cum scriptis monstrasset aperte
Plurima pro veris tradita, falsa tamen,
Exemplo docuit veri patronus eodem,
Hæc in se deinceps posse licenter agi.
Tanti est vel doctis certi experientia sensus.
Nam valet aurita plus oculata fides.
'o craticis porro qui sermo, sacrisq; Platonis
Nominibus credi, vult & amicitiæ,

Excipit, & summa vult relligione caueri,
Ne cedat veri numen amicitiis.

PA. An tibi nos questus non credere, fictaq́, mandata
Explorare locis mille puerperia,
Illos affectas vano vexare labore,
Quos lucra, vel senium semper in vrbe tenent.
Aut iuuenes in re tenui famaq́, minoris
Esse domi immemores vis, & egere foris?

PI. Atqui animi causa medici, vel amore lucelli
Aulam sæpe illi, vel sua rura petunt,
Iis, quibus à studiis, curisq́, vacatio maior,
Pro ludo est longæ tædia ferre viæ.
Et nunc, vt nullo pateat redimenda vel asse
Tam mira vobis causa, fidesq́, rei,
Vlterius paulo non longa suburbia curta
Ire gradu mulæ quadrupedante piget?
Postponit propriis naturam affectibus, atq́,
Omnipotens summi numinis imperium,
Qui factis renuit manifestis credere, quod non
Sint ea priscorum scripta voluminibus.
Namque Dei bonitas communi lege ministrans
Naturæ tacitas prodiga semper opes,
Inuitas cunctos monstrato insistere calli:
Excepto, cum se vindice nodus eget.
Si mihi sexcentis de rerum millibus vlli
Non concessarum posse patere viro.
Particulam minimæ minimam cognoscere partis
Ipse daret rerum fons, & origo Deus.

Id

Id magis optarem (superesset dummodo sacra
Pagina) quam cunctis cognita nosse sophis.
DESINO. Namq; Deo puduit si credere quem-
Naturam insolito cum regit imperio, (quam,
Si tadet longo natura insistere causis
Tempore, quando nouum deuia tentat iter,
Si piget in dubiis sensu præsente doceri.
Certior est certa cui ratione fides,
Si cui tantus amor pro veris falsa tueri,
Hunc nec ego scriptis credere posse meis.
I NVNC: & qui nil quod scriptum non sit, & a-
Dici posse putas, siue recenter agi. (ctum,
Dic, cui nota vni quondam sint omnia, quamuis
Doctior is docto vixerit Hippocrate.
Reclamat sensus: dici quo iudice constat,
Et fieri nunquam dicta, vel acta prius.
Desino nunc tandem rixarum. prata biberunt
Iam satis, hos riuos cespite claudo, vale.

LAVS DEO.



RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM INDEX.

A

Abdomen cauterio actuali apertũ esse, Historiis aliquot comprobatur pag. 77. ad 82

Abdomen ad oui anserini magnitudinẽ dilatatum quando permanserit 183

Aesculapius vtero exsectus. in Præfat.

Anatome Caspari Bauhini 186. 276

Anima si semel euolauerit, reuocari non potest 239

Apollo primus fœtum excidit. in Præfat.

Aqua fontana in lapidẽ concrescit 303

B

Bruta dum castrantur, quid eis auferatur 107

C

Calculus cur per perinæum fuerit extractus 63. peculiari ne membrana inuoluatur 45

Calculus renalis per lũbos reiectus 63. aliis apertis perquisitus 65. perquiritur nouo modo 56. ventre aperto perquiritur 55

Calculi materia & auctio 46. renalis extractio superflua, suspecta raro necessaria 66

Calculi sectionem male experti 49

Calculo extrahendo ætas conueniens 52

Calculi extrahi vt debeant per Hypogastrium 50

Carnis species 68. & seq.

Catelli secũdinas separatas habent 143

Cæsares vnde dicti, in Præfat. & 2.

Cæsarea sectio triplici argumentorum genere con-

re confirmatur 7. vt instituta 15. vt administranda 149
Cæsaream sectioné minus periculosam, quã fit calculi extractio 48. comprobãtes historiæ 11. 12. 13. 14. 15. 162. ad 178.
Cæsarei partus nomine quid intelligatur 1. vsus & necessitas 2
Cæsarearum mos 181
Celsi locus corrigitur 52
Celsistica calculi extractio 50
Cerebrũ totum putredine diuturna cõsumptum 235
Cerebrum vulneratum consolidatur 69
Cerebri substantia læsa 87
Circuli vterini 218
Clysmata per os reiecta 59. an ad tenuia perueniant intestina 272
Clysteres vterini 158
Condyloma 258
Conuulsionis causæ 111
Conuulsionem in sectione vteri non esse metuendam ibid.
Cordis apostema 86. eius auriculæ abscessus 87
Corpus hepate & liene carens 284

D

DEO & naturæ nihil impossibile 248
Decoctum post sectionem Cæsaream necessarium 155. & seq.
Dolorem vtero secto non esse magnum 112.

E

EMbryon per annos 28. in vtero materno contentum 294
Emmotum 124
Eunuchis in Turcia & testes & penis auferuntur 103
Extractio vetus mortui per pudendum matris instrumentis chirurgicis 262

F

FOecunditatem post sectionem Cæsaream remanere 116 & seq.
Fœtus lapideus 247
Fœtus mortuus per latus extrahitur 17. 21. 176. 177. per latus extractus eadem tamen rursus naturaliter bis

enixæ 17.21
Fœtus naturalem exclusionem impedientes causæ 5
Fœtus putrefactus per annos tredecim in vtero contentus 84
Fœtus 15. diebus brachium per vmbilicum extensum habuit 90
Fluor vterinus in grauidis vnde 138

G

GAllorum & gallinarũ castratio 109
Gastroraphia perfecta in hac sectione necessario non requiritur 17.49
Guidoniana calculi extractio. 52

H

HAemorrhagia in sectione musculorum abdominis non metuenda 24
Hepate carens corpus 284
Hepaticorum suppuratorum vstio 42
Hernia in mulieribus quando vtilis 30
Historiæ Ramicosorum sectorum 276. an sectio illa cæsarea difficilior ibid. an lethalis ibid.
Historia gestationis fœtus mortui per annos plus quatuor 228
Historia de fœtus mortui gestatione 24
Historia intestini capiti chirurgica manu restituti 278
Homines gelati 314
Hydrops testiculorum muliebrium 257
Hydropicus cultri ictu curatus, 42

I

ILiorũ sectionem non esse necessario lethalem 58
Instrumenta necessaria ad sectionem Cæsaream 151
Intestini secti circa mortem historia 268
Intestina læsa curari 69
Intestinorum longitudo 275

L

LAc acrius & plus iusto biliosum 242
LApides ex fontis cuiusdam aqua 303
Latus quodnam ad sectionẽ Cæsaream eligendum 152

Lemai-

Lemnisci 123. 215
Ligatura vteri, plapsi 99
Lithopædion 294
Lochia quid sint 35
Lũborũ apostema cauterio apertum 64

M

MAriana calculi extractio 51
Medici extrema sectionis, vstionis, leuioribus neglectis, ne accedant, monétur 209
Menstruus sanguis ex vteri corpore 94
Menstrua cur & quando fluant 33. per nares & per vomitum reiici 141
Molæ an ex solo muliebri semine 134
Morbis extremis extrema adhibenda remedia 233
Mulieres, menstruis suis temporibus fluentibus, naturaliter concipere, vtero gerere, & parere possunt 173
Mulier grauida Ranam, Bufonem, & Salamandræ speciẽ reiecit 254
Mulier enixa est puerulum cum duobus serpentibus 251
de Muliere, quæ annis 13. in vtero gestauit fœtum mortuum, historia 240. Qui fœtus tactu percipitur, ibidem.
Mulier fœtum annis 28 vtero gerit 295
Mulier fœtum mortuũ gerens, rursus tamen grauida redditur 88. post sectionem naturaliter enititur 12. 16. 17. 20. 164.
Mulieri semel fœtus exsectus 13. 14. 18. 19. 163. 165. 175. ter exsectus 11. sexies exsectus. 10
Musculorũ abdominis abscessus, eiusq; curatio 39
Musculis abdominis sectis, quo sãguis fluat 25
Musculos abdominis absque periculo secari posse 23. 271

N

NAtura semper indiuiduum conseruare contendit 131
Neruus qui ad vterum mittitur 13

O

OMentũ secari posse 86

Omẽti pars abſciſſa 198 201
Os pubis in partu diſſoluitur 5
Os vteri an poſt conceptum occludatur 133
Oſſa infantis per aluum reiecta 73
Oua ſubuẽtanea quę 110 134
Ouium caſtratio 108

P

PAracelſus qd ſuis diſcipulis reliquerit 67
Paracenthesis qua ratione perículoſa, & cur tam raro vſurpetur 40
Pater filium è latere cõiugis extrahit 11.163
in Perinæi ſectione quæ occurrant lædenda 47
Peritonæum abſq; periculo inciditur 26.271
Peritonæi ruptura vt curabatur 27
Peritonæi ſubſtantia, finis, fibræ 28 & 29 principium 29 ſectio an periculoſa 40 vſtio 42 magna ſectio ibid. & 271
in Peritonæi ſectione ſpaſmũ nõ eſſe metuendum 28
Peritonæo inciſo Herniam remanere conſuevit 29. 48 hæmorrhagia metuenda nõ eſt 31.271
Peſſarium conceptũ nõ impedire 121. exemplis comprobatur 126 non impedire cõgreſsũ 142 nõ impedire receptionem ſeminis ibid.
Peſſarium in vteri cauitatem indi 130
Peſſarium vnum & idẽ p annos 40. geſtatũ 118
Peſſaria 96.215. ea collo vteri indita procidentiam vteri non curare 132
Peſſaria poſt ſectionem neceſſaria 157
Peſſariorum formæ 216
Puer ante præciſionem vmbilici ſpiritum per os non trahit 229
Pulmones multis annis pure referti 86

R

REN quando ſecandus 66
Renis cicatrix 62 membrana ſolum integra, absũpta ſubſtãtia ibid.
Renes an ſecari poſsint 57
Renum appoſtemata 59. eorum vulnus non neceſſario eſſe lethale 61

Rena-

Renales calculi per lũbos reiecti 59
Rupturã in mulieribus sectis cõducere infanti 119

S

Sanguis grauidis cur mittatur 124
Scipio Africanus Cæsarũ primus è matre exsectus, in Præfat. & 2.
Secreta veteres Medici sibi reseruabant 145
Sectio cadaueris defuncti quomodo peracta 258
Semen hominis abstractum 312
Serpẽtes viui sepulti 253
Spasmus ex punctura, sectione curatur 28. 116
Sperma grauidę emittunt 139
Splenis parenchima absumptum 85
Splene & hepate carens corpus 284
Superfœtationis historiæ 135. 220. ad 225
Syncopen non esse metuendam in sectione vteri 111
Sypho 124

T

Tvmor inter inguina & ilia, ex calculo in vretere contento 59

V

Valuula intestini coli q̃do reperta 173. qũo inuenienda 274 ipsius vsus 276. in cane qualis [illegible] 257
Ventriculus vulneratus curatur 69
Versio hæc qualis 175
Vesica etiã in parte mẽbranosa consolidatur 69. eius rei historia ibid. & 184
Vesicæ vsus 44 eius substantia 68. 185. eius læsio an incurabilis & lethalis ibid.
Vesicæ sectio noua cõprobatur historiis 54
Vesicæ in grauidis constitutio 22
Via per quã fœtus excludi debet, cur angustior 4
Victu quæ nõ curantur, medicamentis an curentur 209
Vitam & motum cordis in infante à duabus arterijs vitalibus dependere 238
Vita & motu puerperarum cessante, cessat etiam

iam infantis in vtero cōtenti vita & motus 239
Vrinæ stillicidium ex sectione Vesicæ 48
Vterus prolapsus per 12 annos circūfertur 214
Vterus cur alterum dicatur animal 113. cur & quando prolabatur 122 & 123. qd faciat in formatione 120
Vterus dū vrina redderetur elapsus 102
Vterus in brutis eximitur in castratione 108
Vterus incisus sutura nō indiget 31
Vterus virginis bipartitus 225
Vteri actio 44. substātia 312. incisi cū Vesica incisa cōparatio 44 eius vulnus an periculosū 31
Vteri sponte absque morte elapsi historiæ 190. 200.
Vteri absq; morte putrefacti historiæ 81 ad 100. 92. 198.
Vteri absq; vitæ periculo ablati historiæ 91 & seq 100. 197. ad 208.
Vteri cū fœtu putrefacti historię 83. 194
Vteri os in grauidis recluditur 129. 219. quod probatur 132
Vteri prolapsum curat Pessarium 126
Vteri post vulnus cicatricem fœcunditatem nō impedire 117
in Vteri carnosa substātia collectio librarum quadraginta 115
Vtero ablato, mulier tamen in coitu semen emittit 200
Vterum parū sensibilē esse, vbi sectio fit 112
Vulnus post sectionem Cæsaream vt consulēdū 15. 17.

FINIS.



FRANCOFORTI,
Apud Melchiorem
Hartmannum,
Sumptibus
NICOLAI BASSÆI.



M. DCI.